GREGORII NYSSENI OPERA

AUXILIO ALIORUM VIRORUM DOCTORUM
EDENDA CURAVIT

WERNERUS JAEGER†

VOLUMEN VIII, PARS II
EPISTULAS CONTINENS



GREGORII NYSSENI EPISTULAE

EDIDIT

GEORGIUS PASQUALI

SECOND IMPRESSION WITH
ADDENDA ET CORRIGENDA



BRILL
LEIDEN · BOSTON · KÖLN
1998

This book is printed on acid-free paper.

Library of Congress Cataloging-in-Publication Data

Gregory, of Nyssa. Saint, ca. 335-ca. 394.
[Correspondence]
Gregorii Nysseni epistulae / edidit Georgius Pasquali.— 2nd impression, with addenda et corrigenda.
p. cm. — (Gregorii Nysseni opera ; volumen 8, pars 2)
In Greek, with editorial matter in Latin.
Includes bibliographical references.
ISBN 9004111824 (alk. paper)
1. Gregory, of Nyssa, Saint, ca. 335-ca. 394—Correspondence.
2. Christian saints—Turkey—Correspondence. I. Pasquali, Georgius. II. Title. III. Series: Gregory, of Nyssa, Saint, ca. 335-ca. 394. Works. 1952 : v. 8, pars 2.
BR65.G73 1998
270.2'092—dc21
[B] 98-11450
CIP

Die Deutsche Bibliothek - CIP-Einheitsaufnahme

Gregorius <Nyssenus> :
[Opera]
Gregorii Nysseni opera / auxilio aliorum virorum doctorum edenda curaverunt Wernerus Jaeger ; Hermannus Langerbeck. – Leiden ; Boston ; Köln : Brill
Vol. 8.
ps. 2. Gregorii Nysseni epistulae / ed. Georgius Pasquali. 2. impr. with addenda et corrigenda. – 1998
ISBN 90-04-11182-4

ISBN 90 04 11182 4

PRINTED IN THE NETHERLANDS

PROLEGOMENA

Gregorii Nysseni epistulas edituro difficultates mihi inde oboriebantur, quod parum constabat, quid in hanc editionem admitterem, quid excluderem. ea enim, quae fere omnium scriptorum ecclesiasticorum recentioris saltem aetatis, Gregorii consuetudo fuit, ut certum hominem ipso initio allocutus, interdum etiam temporum et locorum mentione iniecta, disputationem quamlibet theologicam vel vitae narrationem in epistulae speciem et formam redigeret; id quod ipse quodammodo confessus est, cum vitam sororis Macrinae ab his verbis ordiretur (p. 370, vol. VIII 1 Jaeger): τὸ μὲν εἶδος τοῦ βιβλίου ὅσον ἐν τῷ τῆς προγραφῆς τύπῳ — scilicet inscriptionem ait ad Olympium monachum — ἐπιστολὴ εἶναι δοκεῖ· τὸ δὲ πλῆθος ὑπὲρ τὸν ἐπιστολιμαῖον ὅρον ἐστίν, εἰς συγγραφικὴν μακρηγορίαν παρατεινόμενον· ἀλλ' ἀπολογεῖται ὑπὲρ ἡμῶν ἡ σύνθεσις ἧς ἕνεκεν γράψαι παρεκελεύσω, πλείων οὖσα ἢ κατ' ἐπιστολῆς συμμετρίαν. neque vero discrimen ullum arcessi poterat a libris manu scriptis, in quibus idem saepe opusculum modo servato nomine eius ad quem missum esset, inter epistulas, modo inscriptione omissa inter disputationes theologicas recensetur. accedit quod ipsae epistulae maiores, quae speciem illam epistulis propriam ita retinent ut de earum natura nullo pacto ambigi possit, non in litterarum collectionibus Nysseni, sed, ut mox videbimus, in libris miscellaneis traditae sunt; quin etiam prima proclivi errore Gregorii Nazianzeni corpori epistularum est inculcata.

Quae omnia cum perpendissem, constitui in eo delectu adquiescere, qui omnibus quot Gregorium legere consuevimus, ideo familiarissimus est, quod Migneana

PRAEMONITUM

Georgii Pasquali, professoris olim Florentini et viri docti illustrissimi, editio epistularum Gregorii Nysseni primum publici iuris facta est Berolini apud Weidmannos anno 1925. erat pars editionis a Wilamowitzio propositae, ad quam et Pasquali et ego singula volumina contribuimus. quae editio cum numquam ad finem perducta sit, eas eius partes, quae illo tempore in lucem prodierunt, iam in meam recepi editionem et cum exemplaria nondum vendita bello interierint, nunc sumptibus Instituti pro studiis classicis Harvardiani denuo imprimendas curavi. iam ecce apparet Pasqualii volumen (totius editionis vol. VIII 2) paucis emendationibus additis, mea autem librorum Contra Eunomium editio, quae duobus voluminibus constat, statim sequetur (totius editionis voll. I-II).

WERNERUS JAEGER

Cantabrigii Massachusettensium
mense Octobri anni 1958

illa Patrologia Graeca contineatur, quae quidem, quamquam de editionibus vetustioribus nullo iudicio, immo incredibili socordia est expressa, omnium tamen manibus teratur. confirmavit me in proposito, quod in sylloge Migneana, nescio fortuito an editorum priorum aut codicum merito, nulla paene epistula praeteritur quae vera epistula sit, paene nulla apparet disputatio theologica certo homini dedicata et missa, praeter paucas quae minore quidem ambitu epistulam adsimulant. unam tamen epistulam dempsi, aliquot adieci: dempsi epistulam ad Euagrium monachum de divinitate (PG 46, 1101-1108 Migne) non una de causa: utrum enim Nysseno an Nazianzeno sit adsignanda, semper adhuc disputant theologi; cum autem non solum in permultis Nysseni codicibus, verum etiam inter orationes Nazianzeni circumferretur, e bibliothecarum catalogis libri Nazianzeni iam erant excerpendi, id quod qui indicem codicum Nysseni confecerat, Paulus Szlatolawek, suo quidem iure (neque enim illi hoc munus mandatum erat) plane neglexerat, plurimi et indagandi et evolvendi et vel in ipsis bibliothecis conferendi vel lucis ope depingendi, idque hac aetate et peregrinis itineribus et litterarum commercio cum exteris nationibus maxime iniqua. epistulam primam ad Flavianum Antiochenum, in Nazianzeni codicibus pariter traditam, edere non dubitavi, cum inde tantum lucis in vitam, ingenium, mores Nysseni, in historiam ecclesiasticam illorum temporum refulgeret, quamquam non ignorabam aliquos Nazianzeni me codices effugisse, in his unum et alterum melioris fortasse notae quam quos adhibui. epistulam ad Euagrium, quae medium quemdam locum inter epistulam et disputationem obtineret neque ullum certae originis indicium prae se ferret, Nazianzeni editoribus, si qui exsisterent, relinquere malui. adieci epistulas tres quas, priusquam sophistae Stagirio et Nysseno tributas Paulus Maas

in codice P(atmensi) invenit, qui epistularum minorum syllogen praebet unus omnium locupletissimam, inter litteras Libanii et Basilii forma et figura multo minus genuina legebamus. adieci epistulas mutuas Gregorii et Petri Sebasteni fratris (PG 45, 237-244 Migne), quas non recepissem, si, quod exspectaveram, Jaeger totas in fronte librorum contra Eunomium excudendas curasset, quibuscum cohaerent, quibusque nescio an in editione prototypo, at certe inde a saeculo XI plerumque praefixae legebantur, quamquam etiam in uno codice epistularum minorum, F(lorentino), traditae sunt. epistulam contra ad Letoium Melitenensem canonicam (PG 45, 222-236 Migne), cum libris canonum contineatur innumerabilibus, in syllogis vero minorum epistularum omittatur, in canonum editionem reservavi. quae epistulae in sylloge Migneana inerant, harum collocationem non mutavi, cum praesertim eas libri alii alio ordine dispositas praeberent. quas ipse addidi, Migneanis eodem ordine subieci quo nuper recensui; numeros sine ulla dubitatione continuavi, neque scrupuli animo iniecti sunt, quod Stagirii epistula eodem numero XXVI nunc insignitur quo usque ad hunc diem epistula ad Euagrium distinguebatur: confiteor enim me sperare textum meum, cum librorum testimoniis sit stabilitus, paullatim in Migneani locum substitutum iri; commodis tamen eorum qui legunt, in praesentia prospexi, discrepantiis inter numeros Patrologiae et numeros meos in tabella huic praefationi subnexa ante oculos propositis.

Gregorii epistularum editio prototypos fueritne omnino, aut quae scripta amplexa sit, in id tempus quaerere differo, cum de maiorum epistularum exemplis manu scriptis, de minorum syllogis disputavero. nunc ad epistulam primam adgrediar.

DE EPISTULAE I CODICIBUS

Epistulam Nysseni primam codicibus tantum Nazianzeni epistularum nobis servatam esse, supra (p. VIII) occasione oblata in digressu commemoravi, mox contra falsam quamdam speciem pluribus confirmaturus. sed, cum Nazianzeni iusta editio adhuc desideraretur, horum codicum, quot in catalogis bibliothecarum impressis enumerantur, indicem componendum curare, quot in bibliothecis latent vel minimam partem, ut Vaticana, vel omnino non descriptis, conquirere, opus erat infinitum. accedebat quod, cum e descriptionibus sive impressis sive manu scriptis interdum non eluceret, quae epistulae singulis Nazianzeni codicibus traderentur, necesse erat ad ipsos libros accedere iisque manu pervolutatis inspicere num epistula ad Flavianum illic contineretur. quid facerem? decrevi in copiis a Paulo Szlatolawek (v. supra p. VIII) congestis adquiescere, id est iis tantum Nazianzeni litterarum syllogae libris uti, quibus epistulam ad Flavianum praeberi sive eorum qui catalogos composuerunt testimoniis fretus adnotaverat, sive suo ipse Marte concluserat e primis huius epistulae verbis in catalogos relatis. ipse Vaticanos aliquot libros in auxilium vocavi, ex aliis bibliothecis eos quos mihi indicavit Gustavus Przychocki, epistularum Nazianzeni editor futurus. neque timeo ne multum inde detrimenti haec epistula ceperit, nam primo statim conspectu enitet, Nysseni epistulam neque Nazianzeni archetypo epistularum irrepsisse, si ullus umquam fuit, quod non diiudico, neque uni certae familiae inculcatam esse: non enim in universis vel saltem plerisque codicibus invenitur, neque eodem loco in omnibus quibus continetur libris legitur, sed modo hanc modo illam Nazianzeni epistulam antecedit, sequitur. unde efficitur codices, quos quidem novimus, quamquam lectiones varias praebent non multas easque quae non magnum habeant momentum in utramque partem, non interiore quadam affinitate inter se esse coniunctos sed satis longe distare. quae cum ita sint, minus verisimile duco fore ut aliquando liber exsistat, qui simul atque innotuerit, de hac epistula iudicium subito prorsus pervertatur. at confiteor editionem epistulae ad Flavianum omnibus numeris absolutam atque perfectam tunc demum confici posse, cum societas litterarum Cracoviensis eam quam pollicita est Nazianzeni editionem in manus hominum emiserit. in praesentia ad codices me convertam.

M(arcianus) Graecus 79 saeculo XII in membranis scriptura quadrata maiore, litteris erectis, fere nullis compendiis nitidissime scriptus, foliis constat 312 (37 × 23 cm.). quaterniones inde a fol. 3 usque ad fol. 304 duodequadraginta in ora inferiore primi cuiusque folii litteris Graecis numerati, quorum duodequadragesimus septem tantum foliis constat, cum postremum vel iam pridem pessumdatum vel vacuum ab antiquiore bibliopego resectum esse videatur, priusquam numeros Arabicos singulorum foliorum oris superioribus manus saeculi, ut videtur, XV adpinxit; tum postremo sex tantum folia secuntur, quorum primum numerum λθ′ prae se fert. prima quaeque singularum inscriptionum littera auro exarata, aurei numeri marginibus adpicti. fuit hic liber Bessarionis, ut ipse in fol. 2^{v} vacuo et latine et graece testatus est, qui nescio an eum Constantinopoli emerit. codici enim custodiae gratia folium membranaceum praefixum est, in cuius pagella antica scriba saeculi circiter XV Theodoreti epistulam 171 ad Iohannem episcopum Antiochenum (PG 83, 148A-C Migne usque ad μεταρρυθμίζοντα) exaravit, in postica autem monachus quidam filius Iohannis Meliteniotae inde ab anno 1332 usque ad annum 1338 adnotavit quando diem supremum obissent cum pater, alii

propinqui tum Andronicus Angelus imperator et Theodorus Logotheta [has adnotationes edidit Constantinus Sathas, μεσαιωνικὴ βιβλιοθήκη, I p. νη-νθ], quorum utrumque per Nicephorum Gregoram (IX 14, 1 sqq.; IX 13, 3; X 2,1) et Iohannem Cantacuzenum (II 28; II 16) constat Constantinopoli vita defunctos esse, alterum ab omnibus relictum et desertum, in regia tamen, alterum in monasterio, quod renovaverat, τῆς Χώρας. in ipso codicis initio (f. 1-2ᵛ) Gregorii Nazianzeni 138 epistulae ordine et serie et numeris recensentur, quae ipsae (f. 3-79) secuntur. pariter (f. 79-81) index, quo 308 Basilii epistulae enumerantur, ipsas epistulas (f. 82-306) antecedit. quarum postremis alienae admiscentur: f. enim 304ᵛ epistulam Basilii 177, quae illic numero insignitur τλδ', epistula sequitur, ut qui codicem scripsit, ipse testatur Λιβανίου σοφιστοῦ πρὸς Ἀμφιλόχιον ἐπίσκοπον; eamdem Libanii inter epistulas (1226 W, 1543 Foerst.) editores excudendam et curaverunt et curant. utrum ad Libanium an ad Basilium epistulae insequentis voces extremae πρὸς Ὄπτιμον ἐπίσκοπον γενόμενον τοῦ αὐτοῦ pertineant — quae in utriusque editionibus, et Libanii, cui pariter in aliis libris adsignatur (1227 W, 1544 W) et Basilii (260), locum tenet —, cum de eius auctoritate quaerere neque meum sit neque huius loci, non diiudicabo; quamquam et consentaneum est vocabulo τοῦ αὐτοῦ illum significari qui totam syllogen conscripserit, et apparet eumdem scribam Libanium, quotiescumque voluit, nomine designasse: insequenti enim epistulae (f. 305) Ἀριστοφάνει Λιβάνιος praeposuit (ep. 1228 W, 1214 F); sequitur rursus (f. 305ᵛ-306) epistula 115 Basilii genuina ad Simpliciam haereticam numero τλ' insignita; tum (f. 306-308) Γρηγορίου Νύσσης ἀδελφοῦ τοῦ μεγάλου Βασιλείου περὶ τῶν ἀπιόντων εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα. tum demum toti collectioni subscribitur τέλος τῶν ἐπιστολῶν τοῦ ἁγίου Βασιλείου.

reliqua pagina vacua est, nisi quod in ora inferiore manus recentissima, saeculi XV vel XVI, adpinxit ζῇ Βασίλειος καὶ θανὼν ἐν Χῶ—ζῇ καὶ παρ' ἡμῖν ὡς λαλῶν ἐκ τῶν βιβλίων. f. 308ᵛ Athanasii Alexandrini epistula ad Iohannem et Antiochum presbyteros (PG 26, 1165 Migne) ita in versus modo breviores modo longiores redigitur ut inde crucis figura exsistat. f. 309-310 eadem, ut videtur, manus quae et Basilii et Gregorii Nazianzeni et Athanasii epistulas scripsit, maiore tamen quadam neglegentia, epistulas mutuas Iuliani et Basilii (205 Bid.-Cum.) exaravit, quas innumeri libri praebent [cf. Bidez et Cumont, Mémoires de l'Acad. de Belgique vol. 57 (Recherches sur la tradition des lettres de l'empereur Julien, p. 61 adn.)]. extremae Basilii epistulae manus saeculi XVI, ut spatium expleret, Iohannis Damasceni κεφάλαιον η', libri scilicet primi περὶ πίστεως (PG 94, 808 Migne), subiecit, quod nunc, custodiae folium cum resectum perierit, f. 311ᵛ in verbis abrumpitur φαμὲν δὲ ἕκαστον (PG 94, 824 Migne).

Nazianzeni epistulis extremis pariter ac Basilii alienae immiscentur, ut f. 73ᵛ-77ᵛ epistulas 79 ad Simpliciam haereticam (cui praecedunt epistulae 56. 223. 222 ad Theclam) et 236 ad Libanium Nysseni epistula I ad Flavianum disiungit, Φλαβιανῶι ἐπισκόπωι nullo auctoris nomine addito inscripta; epistulam 236 ad Libanium epistula ad Eusebium Samosatensem suscipit, quae et in Nazianzeni (nr. 66) et in Basilii (nr. 167) editionibus legitur. tum tres epistulae agmen claudunt, quas tantum in Basilii exemplaribus inveni, 169 et 171 ad Gregorium, 170 ad Glycerium. inde tuo iure colligas eas omnes in hoc libro Nazianzeno tribui. sed manus ne dicam ipsius scribae (id quod non facile distinguitur, cum scholiorum genus scripturae fere semper ab ipso textu differat), at certe coaeva, diorthotae scilicet, epistulae ad Flavianum in margine adnotavit αὕτη ἡ ἐπιστολὴ Γρηγορίου

ἐστὶ τοῦ Νύσσης οὐχὶ τοῦ Θεολόγου; quae doctrina idcirco vel pluris facienda, quod in reliquis vetustioribus libris, ut diximus, haec epistula Nazianzeno adsignatur. eadem manus epistulae ad Eusebium in margine pariter adscripsit: δεῖ γινώσκειν ὅτι αὗται αἱ δ' ἐπιστολαὶ τοῦ μεγάλου Βασιλείου εἰσὶν οὐχὶ τοῦ Θεολόγου. cum eadem item manus Basilii margines talibus adnotatiunculis consperserit, suspicari licebit doctum quemdam virum aetatis Byzantinae utriusque epistulas recensuisse, eumdemque hunc codicem scribendum curasse. atque recensionis ex Alexandrinorum more dispositae epistulae sive dubiae et controversae sive spuriae extremo collectionis loco collocatae indicium quoddam praebere videntur. sed timeo ne vana specie decipiamur; nam unam saltem epistulam ad Celeusium, quae in Gregorii editionibus numero 114 distinguitur, in hoc libro bis et inter Gregorii epistulas (f. 6) et inter Basilii (f. 87^{v}) deprehendimus, altero tamen in exemplo adnotatiuncula in margine adposita Gregorio vindicat; unde equidem concludo has duas syllogas non de eodem fonte manasse, doctrinam sane singularem diorthotae vel ipsi docto scribae tribuo, qui alios et collectionum et singularum epistularum codices (multi enim circumferebantur) dedita opera quaesiverit reppererit hic illic contulerit, inde libro e memoria vulgari deducto nomina auctorum veriora et varias lectiones inculcaverit; ut in epistula ad Flavianum (p. 5, 10) lectioni Ἀνδαμουκηνοῖς, lectionibus codicum AE Ἀνδαμουκινοῖς, Ἀνδουμοκίνοις proximae, lectionem Ἀνδαημονοῖς in margine substituit e codice quales sunt DBG. foliorum quae epistulas Nysseni continent I et II, imaginibus utor photographicis. rogatus totum codicem mihi amice descripsit Almus Zanolli, qui in gymnasio Venetiano adulescentulos lingua Graeca atque Latina instituit, ipse non mediocriter etiam Armeniace doctus.

Quod de codicis M diorthosi suspicati sumus, mirum in modum firmatur libro G pensitato, Laurentiano plut. IV n. 14, in membranis (cm. 24 × 17,4) saeculo X exeunte a manu pertenui sed pereleganti litteris inclinatis exarato. constat nunc foliis 362, cum initio et fine singula certe perierint, ut e medio libro excisa mittamus. continet et Gregorii Nazianzeni (f. 1-85^{v}) et Basilii (86-361^{v} vel potius 360^{v}) corpora epistularum: qua tamen cum M similitudine cave fallaris. nam epistulae Gregorii — ex quibus vel sex vel septem totae, vel septimae vel octavae initium (duplex enim numerorum series adscribitur), cum in primo folio inessent, perierunt — eaedem fere sunt quae iam in M occurrerunt; prorsus eaedem, quas nuper in M enumeravi, epistulam ad Flavianum (f. 81-85^{v}) antecedunt. haec tamen syllogen claudit, neque umquam alia epistula consecuta est: superiorem enim tantum f. 85^{v} partem occupat, atque reliqua pagina contra scribae consuetudinem vacua relicta est. Basilianarum autem corpus epistularum, quod nunc folio ipso initio exciso mutilum est, tam diverso delectu est compositum ut cum M ne comparationem quidem instituere possis. epistulae quae numero insignitur τοζ', quasi epistula legitima tractatus numero τοη' insignitus (f. 360^{v}) subigitur qui πρὸς τοὺς συκοφαντοῦντας ἡμᾶς etc. (PG 31, 1488 Migne) appellari solet, hic contra, ut in aliis libris legisse memini περὶ τοῦ μὴ δεῖν τρεῖς θεοὺς καταλέγειν inscribitur. abrumpitur ille f. 361^{v} in verbis τὸ ἣν περιγράφει τὸ (PG 31, 1493C Migne) folio rescisso. folium denique quod libri mutili iam postremum est, 362, Libanii epistulas illas praebet Libanioque adsignat ad Amphilochium, ad Optimum, ad Aristophanem (abrumpitur haec in verbis καὶ τοῦτο p. 295,3 F), quas in M genuinis Basilii epistulis interpositas legimus. accedit tanto discrimini facies codicum prorsus diversa: cum enim librum M totum coaevus corrector doctus percur-

rerit, nomina auctorum investigata addiderit, lectiones varias adnotaverit, in libro G Gregorii epistularum in marginibus fere nihil adiectum est, nisi, incertum utrum a scriba an a diorthota, aliquot voces vel sententiae in transcribendo per incuriam omissae [1]), ipsam autem ad Flavianum epistulam Nysseni, non Nazianzeni esse nullo indicio colligi potest; Basilii vero in marginibus scholium legitur unum et alterum, variae lectiones etiam multae. unde iam elucet diorthotam codici M sapientiam suam, mirabilem illam quidem, invito inculcasse.

Codicem G, cum eo epistulam ad Flavianum contineri illum qui eum satis diligenter descripsisset, Bandinium (I 539) fugisset, perhumaniter mihi indicavit Gustavus Przychocki Cracoviensis disputatione de Gregorii Nazianzeni epistularum codicibus Laurentianis dono missa [Wiener Studien 23 (1911) p. 251 sqq.]. Nysseni epistulam ipse contuli in editione paranda; his extremis temporibus, cum illa iam excuderetur, saepius pervolutavi.

Librorum pari in quo Gregorii Nysseni ad Flavianum epistula epistulam Nazianzeni ad Simpliciam 79 excipit, tertius accedit B(ritannicus) Musei Britannici Add. 36749 [Catalogue of additions to the mss. in the British Museum in the years 1900-1905, p. 206 sqq.], membranaceus, pollicum Anglicorum $7 \times 5^1/_2$, foliis 331, manu erecta non sine quibusdam compendiis (ut signo litterae ω tachygraphico plerumque utitur) saeculo X exeunte conscriptus. Nazianzeni syllogen epistularum 230 (f. 2-122) nonnulla carmina et eiusdem et Leonis Magistri consecuntur, de cuius vita et aetate cf. quae

[1]) unam tantum correctionem in tota ad Flavianum epistula deprehendimus eamdemque fortasse a coniectura profectam (p. 8, 10) ἀφιλάνθρωπον, ut DBM, pro φιλάνθρωπον. — Basilii epistularum quae hoc libro exhibentur, indiculum nuper composuit, de illius pretio disceptavit Godofredus Coppola (Rivista indo-greco-italica 1923 19 sqq.; Studi italiani NS. III 137 sqq.).

disseruit Ioseph Silvius Mercati [Rivista di studi orientali X 212 sqq.]; tum (f. 135) collectio 130 epistularum initio mutila, quam qui librum descripsit, aetati Constantini Porphyrogeniti (911-959) tribuit; tum (f. 233) Hieroclis commentarius in versus aureos. codex vetus f. 286v in verbis abrumpitur capituli XIV συντίθησι τῶν; reliquos commentarius in foliis chartaceis (f. 287-330) suppletus est ab Angelo Calabro qui ipse subscripsit: ἐγὼ Ἄγγελος Καλαβρὸς τοῦ Φιλέτη ἱερομόναχος τῆς μεγάλης μονῆς τοῦ Σωτῆρος τῆς M[. . .] ἀνεπλήρωσα τὴν ἐξήγησιν τοῦ Ἱεροκλέους εἰς τὰ χρυσᾶ ἔπη τοῦ Πυθαγόρου. cum nomen gentile Calabrò etiam nunc Messanae pervulgatum sit, cumque monasterium Messanense Sancti Salvatoris nobilissimum fuerit, cuius bibliotheca nunc in Universitate studiorum illius urbis custoditur, simul atque illam subscriptionem per catalogum cognovi, suspicatus sum evanuisse nomen urbis M[εσσήνης]; accedebat quod index latinus manu, si fides catalogo est, italica saeculi XVI exaratus (f. 1) codici praeponitur, schedula Hispana (f. 331) subicitur, quae omnia in Messanam quadrare videbantur. atque nesciebam eumdem Angelum Calabrum in inscriptione homiliae quae legitur in Ambrosiano 803 f. 33 abbatem et discipulum Constantini Lascaris appellatum esse [Mercati, p. 220], qui diu Messanae versatus est. atque Gilson, codicum manuscriptorum Musei Britannici custos humanissimus, quocum coniecturam meam communicaveram, confessus est se iam vestigia illius nominis in lacuna despicere. idem Przychockius, qui me monuit in hoc libro epistulam ad Flavianum inesse (f. 114-121v), adfirmat [in actis Academiae Cracoviensis anni 1912, p. 230] hunc librum delectu Gregorii litterarum prorsus eodem uti quo codicem coaevum G; confitetur tamen Nysseni epistula quae numero insignitur σκή (= 228), non corpus Gregorii claudi ut in G, sed post aliam epistulam

quae est 236 ad Libanium, postremo loco sequi, item Nazianzeno tributam, Basilii epistulam ad Simpliciam 115. immo M comparare debuit, in quo epistula 236 epistulam Nysseni pariter contingit. idem dubitat an ipse scriba varias lectiones adscripserit, novas quasdam inscriptiones, scholia perexigua alio codice in subsidium vocato adiecerit. equidem in epistula ad Flavianum, cuius imagine photographica utor, nihil tale offendi, ipsum librum numquam vidi.

Libris usque adhuc enumeratis in quibus epistula ad Flavianum epistulam 79 Nazianzeni excipiat, iam ad eos libros transgrediar in quibus eadem Nysseni epistula varium locum occupat, ita tamen ut in his quoque vel syllogen Gregorianam claudat vel sane ab exitu proxime distet. A(ngelicanus) 13, membranaceus (cm. 18 × 13), in foliis 180 saeculo XI fere nullis compendiis exaratus est; quem egregie descripsit Georgius Muccio [Studii italiani di fil. class. IV 1896, p. 39 sqq.]. corpus scriptorum epistularum christianarum sibi parari voluit is cuius in usum hic codex compositus est: Basilii et Libanii epistulas mutuas (f. 1 sqq.) congeries quaedam quasi infinita epistularum Basilii et Gregorii Nazianzeni inter se commixtarum (f. 10 sqq.) excipit, cui excerpta quaedam e Photii litteris et quaestionibus intercalantur et paene adsperguntur (f. 73 sqq.). deinceps epistularum Nazianzeni iusta collectio inde a f. 110ᵛ consequitur, quarum paene extremae epistulae 242. 164. 188. 222 demum ad Theclam (Θέκλῃ παραμυθητική), quae pariter in M unius tantum epistulae spatio a Gregorio Nysseno disiungitur; denique 64 (Φλαβιανῷ ἐπισκόπῳ). hanc postremo loco (f. 146) Nysseni epistula ad Flavianum τῷ αὐτῷ inscripta insequitur. reliquom codicem occupant aliquot epistulae Theodori metropolitae Niceni, Symeonis Metaphrastae, Nicolai patriarchae Constantinopolitani (primi opinor), Synesii, Isidori Pelusiotae. fuit hic codex, ut plerique graeci bibliothecae Angelicae, Dominici Passionei [quo de cf. Piccolomini, ibd. p. 10 sqq.]. Romae contuli hieme anni 1912.

Liber Laurentianus Conv. Soppr. n. 627, qui fuit olim Abbatiae Florentinae, chartaceus, saeculo XIII in f. 140 (cm. 17,3 × 12,8) litterulis minutissimis, aequabilibus tamen, compendiis neque multis neque ad solvendum difficilibus ab una manu scriptus (nisi quod paginas vacuas 47ᵛ, 140 manus paullo posterior alteram indiculis metrologicis, alteram versibus quibusdam Nazianzeni complevit), eo nomine nobilissimus est, quod Eroticos (unde eum siglo E distinxi) alios unus, alios praecipuus servavit. sed Eroticos (f. 22-79) plurima Byzantina antecedunt, ex qua libri parte Nicolaus Festa Theodori Ducae Lascaris imperatoris epistulas ad filium Georgium Muzalonem LX, non aliunde notas, deprompsit [Theodori Ducae Lascaris epistulae CCXVII p. 214-262]. alia fere cotidie docti viri excerpunt et in lucem edunt. secuntur cum Athanasii epistula ad Antiochum, alia Byzantina, duae Aesopi vitae, plurimae fabellae, tum inde a f. 118 Gregorii Nazianzeni epistulae plurimae, quibus Basilii paucae admiscentur et quasi irrorantur. agmen claudunt epistulae 146 et 154 ad Olympium, 196 ad Hecebolium, 145 ad Uranium (Οὐρανίῳ enim, non Οὐηρανίῳ in hoc libro legimus), 28 ad Amphilochium, 241 ad Abugrium. quam denique (f. 138) nullo auctoris nomine distincta, quasi quaedam Nazianzeni epistula genuina, epistula Nysseni ad Flavianum excipit. periit tamen, uno certe folio rescisso quod olim post f. 139 sequebatur, pars extrema inde ab οὐκ εἶχον (p. 9, 7).

Hunc codicem, postquam multi alii de eo propter fabulas romanenses rettulerant, accuratissime descripsit Nicolaus Festa [St. it. d. fil. class. I 172 sqq.]. huic tamen non successit (neque vero id munus susceperat) ut inveniret unde in Abbatiam Florentinam delatus esset;

forsitan invenerit qui vestigia Demetrii illius Meliteniotae rimatus erit, cuius nomen a manu fere eiusdem aetatis vel non multo recentiore quam quae codicem conscripsit, in pagella extrema (f. 140^{v}) adnotatum est: patet enim istum Demetrium ab eodem Meliteniotarum genere originem duxisse quod exeunte saeculo XIII, ineunte XIV Constantinopoli fama, opibus, honoribus eminuit, cuiusque a gentili aliud Gregorii Nazianzeni exemplum, M, manibus tritum esse nuper (p. XI) commemoravi. atque Meliteniotas in re publica Byzantina non mediocriter versatos Theodori Lascaris epistularum curiositas decet. quisquis ille fuit qui hunc codicem possedit, unum spoponderim, illum non negotiandi causa hunc composuisse ut monasterio venderet, sed propriae doctrinae in usum vel ipsum transscripsisse vel transscribendum curasse. id quod charta membranae praelata [cf. Maas, Griechische Paläographie 73], scripturae genere, delectu admodum vario, curiositate rarae cuiusque scriptionis quodammodo demonstratur. liber, si non speciosus, at maximi pretii propter monachorum incuriam in Abbatia pessime mulcatus est: cum enim, ut certo scio, olim sub fenestra iaceret, propter humorem plurima prorsus evanuerunt, alia ita redacta sunt, ut maxima oculorum acie vix extricari possint. extremae tamen paginae cum multo melius habitae sint, nullo fere negotio Nysseni epistulam identidem legi: libri enim mihi sescenties copiam fecit Henricus Rostagno praefectus.

Vaticanus Graecus nr. 435 (D) foliorum 278 (cm. 38 × 24), maiore ex parte iam saeculo XIII ab una manu in charta scriptus est. sed ingentis voluminis compages mox laxata et dissoluta est, aliquot folia perierunt, aliquot alienum in locum intrusa sunt, id quod iam saeculo XIV accidisse consentaneum est, quandoquidem multorum supplementorum scriptura illam aetatem prodit. foliorum ordo turbatus ex indice

codicis genuini praefixo, neque illo item integro, aliquatenus restitui poterit. nunc haec fere insunt: (f. 1^{v}) (Πίναξ τ)ῶν ἐν τῇ παρούσῃ βίβλῳ ἐγγεγραμμένων; (f. 7) Ἐκ τῶν τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μαξίμου τοῦ ὁμολογητοῦ· τί ἐστι τὸ Ἀγαλλιάσεται ὡς γίγας δραμεῖν ὁδόν excerpta quaedam brevia (expl. 13^{v} ὁ ὑπερήφανος νοῦς ἢ λογισμὸς πεφυσιωμένος; reliqua pagina vacua); (f. 14) Τοῦ ὑπάτου τῶν φιλοσόφων καὶ ὑπερτίμου τοῦ Ψελλοῦ εἰς τὰς ἐπιγραφὰς τῶν ψαλμῶν excerptum brevissimum: inc. (τ)ῶν ἐν τοῖς ψαλμοῖς ἐπιγραμμάτων τὸ μὲν ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης; des. f. 14^{v} θελήσαντος τοὺς ψαλμούς: reliqua pagina vacua. secuntur (f. 14-16) duae orationes Gregorii Nazianzeni Ἀπολογητικὸς τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ θεολόγου εἰς τὸν αὐτοῦ πατέρα καὶ εἰς τὸν ἅγιον Βα(σίλειον) μετὰ τὴν ἐπὶ τοῖς Σασίμοις χειροτονίαν (PG 35, 820 Migne) et Ἀπολογητικὸς εἰς τὸν αὐτοῦ πατέρα καὶ εἰς τὸν μέγαν ἅγιον Βα(σίλειον) εἰς τὴν χειροτονίαν Δοάρων ὁμιλία ἐκδοθεῖσα Εὐλαλίῳ ἐπισκόπῳ (PG 35, 852 Migne); tum (f. 17) Τοῦ μεγάλου ἁγίου Βασιλείου ἐπιστολαί, quae usque ad f. 126 pertinent, ita tamen ut multorum foliorum ordo turbatus sit, multa, ut 17-22, 27-40, 43-55, manus illa, quam dixi, saeculi XIV suppleverit. atque vel ordo turbatus vel lacuna exinde demonstratur, quod (f. 127) sequitur Ἐκ τῶν εἰρηνικῶν αὐτοῦ λόγων· λόγος ὁ πρὸς Ἀμφιλόχιον, haec vero oratio non ad eumdem Basilium, sed ad Gregorium Nazianzenum (PG 35, 1132 Migne) pertinet; laborat ipsa hiatibus et foliis translatis. tum (f. 132) Ἀπολογητικὸς εἰς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα Γρηγόριον συμπαρόντος καὶ τοῦ μεγάλου ἁγίου Βασιλείου κατὰ τὴν ἐπάνοδον τῆς φυγῆς (PG 35, 828 Migne). tum inde a f. 133 prorsus diversa secuntur: Πέτρου Θεουπόλεως ἤτοι Ἀντιοχείας πατριάρχου λόγος πεμφθεὶς πρὸς τὸν ἁγιώτατον καὶ οἰκουμενικὸν πατριάρχην Κωνσταντινουπόλεως κῦρ Μιχαὴλ τὸν Κηρουλᾶν κτέ (inc. ὅσα ἐπονηρεύσατο ὁ ἐχθρός); (f. 135^{v}) τοῦ αὐτοῦ τῷ σεβασμιωτάτῳ καὶ ἰσαγγέλῳ δεσπότῃ

καὶ πνευματικῷ ἀδελφῷ τῷ ἁγιωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ Βραδέντζης Ἀπιλεγέντζῃ: inc. πολλῆς εὐφροσύνης ἡμῖν. tum rursus Gregorii Nazianzeni scripta (f. 137^{v}) Εἰς τὸν κατάπλουν τῶν ἀπ' Αἰγύπτου ἐπιδημησάντων λόγος τοῦ μεγάλου ἁγίου Γρηγορίου τοῦ θεολόγου (PG 36, 242 Migne); (f. 141-179^{v}) ea, cuius maxime nostra interest, collectio: Γρηγορίου τοῦ θεολόγου πρὸς διαφόρους καὶ αὐτὸν τὸν μέγαν ἅγιον Βασίλειον. collectionem excipiunt vita Nazianzeni (inc. ὁ δὲ ἅγιος Γρηγόριος ὁ θεολόγος ὥρμητο μὲν ἐκ Ναζιανζοῦ· πόλις δὲ ἦν αὕτη κτέ), τὰ σωματικὰ χαρακτηρίσματα τοῦ ἁγίου θεολόγου (f. 180). tum inde ab eadem pagina excerpta perbrevia, ut περὶ ἰδιότητος φύσεων παραδόξων ἐκ διαφόρων βίβλων συλλογή, e Sexto Empirico scilicet; ἑρμηνεῖαι ὀνομάτων ἐν διαφόροις βιβλίοις κειμένων παρὰ τοῦ Βουλγαρίας ἐκείνου κ̅υ̅ Θεοφυλάκτου συντεθεῖσαι; Ἀπὸ τοῦ Λουκιανοῦ inc. ἰφικρατίδες κρηπῖδες (sic); Ὀνόματα τῶν θέσεων τῶν ὀρῶν; Περὶ τοῦ μήκους τοῦ Πόντου. eadem fere eodem ordine in fragmento saeculi XV, quod Mynoides Mynas ex Oriente in bliblothecam Parisinam attulit, nunc in codice Suppl. Gr. 76 cum aliis frustulis consutum adservatur, invenit atque peculiari disputatione disceptavit Daniel Serruys [Revue de Philologie XXXII 1908, p. 143]. in codice Vaticano sequitur (f. 184) Τοῦ ἁγίου Γρηγορίου πρὸς παρθενίαν παραινετικός (PG 37, 632 Migne); deinceps Συνεσίου ἐπισκόπου ἐπιστολαί (f. 185-219^{v}). quas illa excerpta excipiunt quae Arnimii Ineditum Vaticanum appellare consuevimus quaeque hinc Arnimius in lucem protraxit [Hermae XXVII 1892, 118], neque usque adhuc in alio codice reperta sunt: in hoc libro inscribuntur Πλουτάρχου ἢ Κεκιλίου ἀποφθέγματα ῥωμαικά. atque, quod Arnimius coniecit, scribam folium avulsum felici quodam casu invenisse et transcripsisse, id etiam eo nomine verisimile est, quod haec apophthegmata Synesii opusculis interponuntur: antecedunt enim Synesii epistulae, secuntur

(f. 221-273) decem orationes, quibus tamen, bibliopegi opinor consueto errore, Themistii una interponitur; duae aliae eiusdem Themistii, quarum altera mutila, agmen claudunt (f. 273^{v}-275^{v}). in codicis calce inde a f. 276 manus saeculi XV vel XVI illas Gregorii Nazianzeni epistulas supplevit quae in ipsa parte vetustiore perierant.

Hic liber speciem quamdam singularis doctrinae prae se fert. charta membranae praelata, scholia pauca marginibus adspersa (exceptis tamen epistulis Nazianzeni), cura litterarum quam maxime variarum demonstrant vel scribam vel eum qui scribae codicem commisit doctum hominem fuisse; conclusionem confirmant apophthegmata maximi pretii non alibi tradita. multa in hunc librum cadunt quae in E; sed neque scriptura tantula est, et multo melius quam in E epistula ad Flavianum tradita est. quae non, ut in codicibus quos iam descripsimus, in calce collectionis Gregorii Nazianzeni legitur, sed in ipsa media sylloga (f. 175^{v}-177). numero distinguitur σ̅κ̅ε̅, cum extrema epistula numero τ̅ι̅ς̅ insigniatur; praecedunt epistulae 66 et 64 ad Eusebium Samosatensem, 238 ad fraternitatem quamdam monachorum et virginum, secuntur 184 ad Amphilochium, 12 ad Nicobulum. epistulam ad Flavianum contuli hieme anni 1912; descriptionem totius codicis accuratam rogatus mihi composuit Ioseph Silvius Mercati.

Libros saeculo XV inferiores, ut sunt Parisiensis 1405, Berolinensis 66 saeculi uterque XVI, Ottobonianus 41, Urbinas 10 etiam XVII, in praesentia consulto neglexi, duos postremos propter inscriptionem mox in censum vocaturus.

Iam de librorum mutua ratione videamus. quos nobis non contigit ut in certas familias distribueremus: ea enim huius epistulae condicio est, quae eadem Gregorii operis contra Eunomium vel adeo Eusebii Historiae Ecclesiasticae, ut mira inconstantia quisque liber cum

quovis alio et in lectionibus genuinis et in erroribus mox concinat, mox dissideat, nullus certorum codicum consensus auctoritate verum spondeat, edendi norma in editoris iudicio omnino posita sit. libri enim vetustissimi horum operum variis lectionibus abundabant, siquidem multae in nostris exemplis, ut apparatum epistulae ad Flavianum subiectum percurrendo facile colligas, servatae sunt. singularem tamen locum tenent (neque hoc periti stupebunt) duo libri recentes, saeculo demum XIII uterque scriptus, uterque parvis litteris, compendiis permultis in charta bombycina vili, a docto scriba vel certe docti possessoris in usum. quorum alter, E, uno minimum loco p. 6, 2-3 (neque vero plus tres partes epistulae continet) versum archetypi ἐπιτείνων τὴν ἀηδίαν (falso pro ἀκηδίαν) καὶ τὸ θάλπος ἰσχυρὸν servat, cum ceteri omittant ab ἐπιτείνων usque ad θάλπος, ἰσχυρὸν, quod iam non intellegitur, in ἰσχυρὸς mutent ut vocibus praecedentibus aptent ὁ ἐκ τῆς ὁδοῦ κόπος; alter, D, multo saepius unus verum tutatur: ut 4, 15 συνδιαγαγὼν ἐκείνοις D, συνδιαγαγόντων vel συνδιαγόντων ἐκείνῳ ceteri; 6, 17-18 προτροπὴν εἰς καθέδραν D, προτροπὴν ἢ καθέδραν ceteri; 6, 21 ταῖς γοῦν ὀφρύσιν ἡμῖν ἐπινεύσειεν, τ. γ. ὀ. ἡμᾶς (λοιπὸν GE) ἐ. ABM, ubi pronomine primae personae omnino carere non possumus, ἡμᾶς autem a falsa compendii lectione natum est; 7, 5 τὴν συντυχίαν ἀφοσιούμενον D, τ. ἡσυχίαν ἀφ. ceteri, nisi B, qui συντυχίαν super linea, quasi lectionem variam praebet; mox τοῦ ante εὖ; quod unice verum, D, τὸ ceteri; 7, 6 τοῦ ante πόθεν D: τὸ ABGM: om. E; 8, 21-22 ὁ νεκροὺς . . . ἀνακαλούμενος D, ὁ omiserunt ceteri, quamquam est prorsus necessarium. addiderim 7, 21 τὴν πρὸς ἀλλήλους ἀγαπητικὴν σχέσιν D, τὴν ἀγαπητικὴν πρὸς ἀλλήλους σχέσιν cett., quamquam clausularum legem Meyerianam, cui hoc loco unus D opitulatur, ipse Gregorius non raro migrat.

Horum tamen librorum diversa est natura, dispar auctoritas: E enim hic illic voces omittit ut 3, 9 οὐκ εἰδότες; 4, 12 Πέτρου; 5, 14 αὐτός τε; 6, 8 πρὸ; 7, 6 τοῦ vel τὸ; 7, 14 λιτή τις; saepius quam ceteri codices et voces sanas corrumpit, ut 5, 25 προεκείμην] πρὸ ἐκείνην, et periodi nexum laxat verbo finito in participii locum substituto, ut 5, 1 συντετύχηκεν pro συντετυχηκὼς, vel particula interpolata, ut 6, 21 ἢ ταῖς pro ταῖς (ἤ τι φιλάνθρωπον videlicet ad φθέγξαιτο potius quam ad ἐπινεύσειεν rettulit): memoriam nimirum repraesentat nescio qua scribendi et cogitandi festinatione obscuratam. neque ubi accedit ad codicum non dico familiam sed conventiculum quoddam vel circulum (circuli enim in multitudine perpetuo congregantur dissolvuntur), illi multum auctoritatis adicit; et corruptelam interdum longius progressam ostendit quae in reliquis libris inchoatur, ut p. 8, 10 ἀφιλάνθρωπον verum est, vocem usitatiorem φιλάνθρωπον substituerunt AG, φιλάνθρωπος E; 5, 14 αὐτός τε plerique libri praebent, particulam omittit A, utramque vocem E. D contra vitia propria habet aut nulla aut sane levissima, ut 4, 10 συλλαβέσθαι pro συμβαλέσθαι; 8, 21 ἀγορασθέντων pro ἐξαγορασθέντων scribit; 5, 6 τῷ post τὸ ἐν, ante μέσῳ per imprudentiam omittit; 5, 11 καὶ post μετὰ addit, pariter per imprudentiam. alia fortasse in exemplari suo iam dispicere non poterat, ut 7, 14 λέγω καὶ omisit, sed spatium vacuum reliquit; unde proclive est paullo post, p. 7, 18, λογιζομένῳ eadem de causa praeterisse. quotiescumque aliis codicibus suffragatur, genuinam plerumque lectionem defendit. quod cum saepe observassem, iam ubi discrimen non in iudicio sed in auctoritate collocatum erat, ad fidem eorum me codicum applicavi a quibus D faciebat, ut in nomine vici Cappadociae cum mihi tum viro illarum regionum uni peritissimo, Friderico Andreae, professori Gottingensi, prorsus ignoti (p. 5, 10) Ἀνδαη-

μονοῖς cum DBG margine libri M scribere malui quam vel Ἀνδαμουκηνοῖς cum M vel Ἀνδαμουκινοῖς cum A vel Ἀνδουμοκίνοις cum E.

A cum M saepe consociatur; qui consensus ipse per se verum prorsus non praestat: ut p. 3, 5 μῖσος, vocabulum necessarium (tertius accedit G), omittunt; p. 3, 6 ἐπινοεῖται pro genuino ὑπονοεῖται praebent (sed ὑπο inter versus M); rursus p. 4, 10 voculam, qua indigemus, τι omittunt; p. 12, 17 ἦν post ἂν transiliunt. atque p. 12, 16 μηδὲ ἔστιν DBG idcirco commendatur quod concinnitate rupta extremum enumerationis membrum mentis aciem legentium in se convertit, cum contra μήτε AM praecedentibus μήτε subiectum acumine et aculeo prorsus careat; accedit quod quomodo μήτε in AM exstiterit, extremo membro prioribus assimilato, nobis nullo negotio repraesentare possumus, non ita quomodo e μήτε deductum sit μηδὲ ἔστιν. 11, 11 καὶ παρ' ἡμῶν προσήκει AM contra clausulam peccat, hanc servat προσήκει καὶ παρ' ἡμῶν DBG; 11, 14 καὶ ante καθ' ὑπόθεσιν abundat; 12 17, τὸ inter ἐπὶ et τῶν etiam est sine sensu. itaque vel in dubiis lectionem librorum AM communem interdum sprevi ut p. 9, 11 τὸν ἐμφύλιον ἡμῖν διαγράφοντα πόλεμον duabus de causis scripsi, et quod dativus nullius praepositionis subsidio ab ἐμφύλιον pendens mihi certe elegantissime sapit, et quod haec lectio consensu librorum DBG, ἐμφύλιον ἐν ἡμῖν libris AM fulcitur; p. 11, 17 ἀπήλεγξεν lectioni in AM traditae ἐξήλεγξεν praetuli; item 10, 17 προσκαθήμενοι cum DBG, non cum AM προσκαθεζόμενοι scripsi. est tamen ubi iudicio iubente illi consensui librorum AM, quem in universum non magni facio, manus dederim, ut p. 12, 5 πρὸς τοὺς ἀρίστους τε καὶ εὐδοκίμους DBG durius est quam ut sit verum, εὐδοκιμωτάτους recte scribunt AM. item p. 9, 22-23 εἰπόν τινας λόγους πρὸς αὐτὸν θεραπευτικούς AM verborum est ordo sollemnis, εἰπ. τιν. πρὸς αὐτὸν λόγους θερ. a consuetudine abhorret, quamquam fateor esse hanc discrepantiam levissimam. 9, 6 ἀξιώματος ὑπεροχή AM maiore proprietate dictum videtur quam, quod in ceteris legimus, ἀξιωμάτων.

A cum E in duobus erroribus consentit, altero autem tam proclivi ut nihil inde certi effici possit: καὶ enim pro κατὰ p. 4, 14 substituunt. prima facie gravius videtur quod 6, 9 αἰτίας pro ἀτιμίας praebent; sed illud vocabulum e vicinia, similitudine decepti, arcessiverunt (ὡς ἐμαυτῷ τῆς ἀτιμίας ἐκείνης παρασχὼν τὴν αἰτίαν), nescio an uterque suo Marte. A quotiescumque innovavit, peccat; uno tamen loco cum reliqui libri multifariam discessissent, verum fortuito servavit; p. enim 8, 13 εἴ γε τὰ τοῦ κόσμου βλέπει τις τούτου recte scribit A; εἴ γε enim indicativum poscit, cum optativo opponatur qui in sequentibus sententiis potentialis vicibus fungitur: εἰ μὲν γὰρ τὰ τῆς σαρκὸς ἐξετάζοι τις . . . εἰ δὲ τὴν ἀληθῆ τις ἐπιζητοίη τῆς ψυχῆς ἐλευθερίαν. ME, ut par erat ρ scribae oculo ad sequentia aberrante, βλέποι τις dederunt, τις βλέποι ordine commutato BG; indicativum servavit, verborum collocationem turbavit D τις βλέπει. sed hoc non tanti est, ut iudicium quod de A tulimus mutare cogamur; neque commovemur, quod 8, 11 οὐδὲ sive servavit sive facili coniectura contra ceteros restituit.

Librorum B et G cognatio fere una perpetuo constat; atque in horum consensu cum D salutem epistulae ad Flavianum positam esse sescenti loci clamant. est tamen ubi hoc par peccet, ut 3, 6 per dittographiam καὶ ante καθάπερ addunt; 4, 15 corruptelam inchoant quam AME cumulant atque perficiunt. est ubi ad inferiores desciscant, ut 6, 21 ἀπεναντίας praebent DM, ἀπεναντίον legitur in M super versu, idem vel ἀπεναντίων (nihil enim interest) in ABGE; 7, 3 ἐναποπαγεὶς servant DM, ἐναποπλαγεὶς novant ABGE; 7, 8-9 τοῦ ὑποδείγματος

DME, τῷ ὑποδείγματι ABG. de forma vero pleniore ἐγεγόνει, quam DA adversus γεγόνει BGM p. 11, 19 exhibent, diiudicare non audeo. sed est B paullo fidelior quam G. quem miramur semel (p. 3, 5) pari AM tertium accedere voce necessaria μῖσος omissa, saepius cum E adulteros nectere amores. levissimum est quod ambo 7, 5 ἀφοσιουμένων pro ἀφοσιούμενον praebent: praecedunt enim genetivi διὰ τῶν κατημαξευμένων τούτων, neque aliter magis peccatur a scribis quam desinentiis aequandis; multo gravius quod p. 6, 21 ἡμῖν in uno D intactum in ceteris libris in ἡμᾶς depravatur (in praecedenti enim versu πρὸς ἡμᾶς legitur). haeserunt GE, neque tamen erroris causam perspexerunt, sed λοιπὸν coniectando inculcaverunt. GE dixi, dicere debui illud exemplum a quo E manavit quodque G hic illic in auxilium vocavit. atqui fatendum est, istos GE semel lectionem genuinam, in reliquis codicibus obscuratam levibus corruptelis, solos vel incolumem servasse vel restituisse (facile enim errorem animadvertere atque corrigere potuit quicumque graece scivit). dico p. 6, 5 ubi ὡς ἀληθεύειν ἐπ' ἐμοῦ τὸ τοῦ προφήτου GE scribunt, ἐμοὶ DA, ἐμὲ — quod scilicet e sequenti Ἠκηδίασεν ἐπ' ἐμὲ τὸ πνεῦμά μου fluxit — BM. videsne nullum fere esse codicum consensum quin aliquando verum praebere possit?

E codice quodam libri E simillimo, nescio per quos rivulos, editio manavit, quae, cum Parisiis anno 1615 ex officina Claudi Morelli prodisset, p(arisiensis) a me appellata est cuiusque, quod ad libros contra Eunomium pertinet, naturam atque originem indagavit, vilitatem notavit Jaeger (p. LVII sqq.). est tamen illius in hac epistula aliquis usus, cum extrema pars in E perierit cumque duobus saltem locis genuinam lectionem una servaverit: καὶ χρόνος διεγένετο οὐκ ὀλίγος καὶ νυσταγμὸς ἐπὶ τούτοις καὶ ἀκηδία καὶ ὁ ἐκ τῆς ὁδοῦ κόπος ἰσχυρός scribunt fere reliqui codices p. 5, 26 sqq.; ἐπιτείνων τὴν

ἀηδίαν καὶ τὸ θάλπος post κόπος addit, ἰσχυρὸν praebet unice verum E, quod in ceteris ad κόπος aptatum est. ἀκηδίαν pro ἀηδίαν p, quod vocibus praecedentibus καὶ ἀκηδία collatis egregie firmatur. nescio tamen an illud vocabulum in p ad editoris coniecturam referamus, quae cuivis in mentem venire poterat. p. 7, 7 τὴν συντυχίαν ἐκείνην τῆς ἐν ᾄδου διαγωγῆς ἐποιούμην εἰκόνα legitur in libris; sed vox συντυχίαν in superba Helladii silentia minime quadrat; ἡσυχίαν, unum legitimum nomen, praebet p. coniectari tamen potest editorem paucis versibus ante (7, 4-5) in sententia quam equidem scripsi διὰ τῶν κατημαξευμένων τούτων τὴν συντυχίαν ἀφοσιούμενον, sive ἡσυχίαν, ut est traditum in AGME, legisse, illa duo nomina locum inter se commutare iussisse, sive duplicem lectionem, ut legitur in B, ἡσυχίαν—συντυχίαν in exemplo offendisse, prius vocabulum recto iudicio ad posteriorem locum rettulisse. atque est p ad coniecturas proclivior, ut p. 3, 9 verbis οὐκ εἰδότες in exemplari librorum E et p communi omissis, particula sequens ὅτι cum iam non intellegeretur, p οὖν in eius locum substituit. 5, 14 αὐτός τε prorsus necessarium omissum erat in illo communi exemplari, ἐγὼ interpolavit p; ὕβριν κατὰ ἐλευθερίας καὶ ἀτιμίαν κατὰ τῶν ὁμοτίμων (p. 11, 20-21) cum et minus perspicuum et inconcinnum iudicaret, κατὰ τῶν ἐλευθέρων scripsit.

Nysseno epistulam ad Flavianum sine ulla dubitatione tribuit p, item Ottobonianus 41, Urbinas 10, uterque saeculi XVII. cave tamen hac de causa istis tribus libris peculiarem quamdam laudem vindices: verisimillimum enim est scribas non indoctos tale scholium in exemplo suo invenisse, quale in M legimus, de auctoritate controversa, quod iam facile erat, recte iudicasse. scripta contra Eunomium in p intercedente codice deperdito Pithoeano ad verbum expressa esse ex Urbinate 11 contendit Jaeger, qui liber pars erat secunda collec-

tionis operum Nysseni locupletissimae Federici ducis Montis Feltrii in usum, ut idem Jaeger verissime demonstravit, compositae, quae quattuor ingentia volumina complectitur, in his U(rbinatem) 10. iudici codicum cognationum peritissimo id quod de libris contra Eunomium disputavit facile credo; spondeo tamen editorem p epistulam ad Flavianum non ex U sed e libro persimili expressisse: cum enim p cum U plerumque consentiat, uno tamen loco (p. 7, 5) vocabula τούτων τὴν συντυχίαν ἀφοσιουμένων servavit in U omissa.

DE EPISTULAE II CODICIBUS

Epistula II sescentis libris traditur, quorum quidem pars multo maior saeculo XVI exarata est, qua aetate, ut infra (p. LXXXIII) pluribus explicaturi sumus, controversia vehementissima de hac epistula atque iurgium inter Calvini sectatores et Catholicos exarsit. talium codicum, ne quid qui hanc praefationem legat, desideret, indicem hic propono, qualem mihi ex catalogis impressis excerpsit Paulus Szlatolawek, ipse e Vaticana auxi: Matritensis palatii regii 13, Lugdunensis Vulcanii 64, Ambrosianus I 16 inf., I 91 inf., Ottobonianus 119, Vallicellianus D 56, Bodleianus Misc. 38, Bodleianus inter Casauboni Adversaria 11, Bodleianus Canonicianus 104, Parisinus 1003, Basileensis A III 8 omnes saeculi XVI; Ottobonianus 41, Urbinas 10 [quo de cf. supra], Vaticanus 1759 adeo XVII. libros certe Italicos pervolutavi atque contuli, Anglicorum imaginibus photographicis usus sum. sed, cum perspexerim nihil his libris exhiberi quod non item vetustiores praeberent, de manibus abieci.

Restant vetustiores, quos, quotquot sunt, ex archetypo fluxisse pauci loci in omnibus pariter corrupti ostendunt. minuta mittimus: ut τὸ pro τοῦ, quod reposuit Wilamowitzius (p. 16, 16) in ποίαν ἀπόδειξιν ἔχει τὸ

πλείονα χάριν εἶναι ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις, proclivi scribarum errore quid demonstraretur requirentium fieri potuit ut vel fortuito in singulos libros irreperet; p. 14, 6 ἑαυτοῦ pro ἑαυτῷ quivis scriba committere potuit, oculo ad sequentem genetivum τοῦ καλοῦ aberrante. sed 15, 3-5 ἡ τῆς ὁδοιπορίας ἀνάγκη ἀεὶ τὴν ἐν τούτοις ἀκρίβειαν καὶ πρὸς ἀδιαφορίαν τῶν παρατετηρημένων ἄγει prior sententiae pars, sive ἀναιρεῖ ante ἀεὶ omissum est sive ipsum ἀεὶ ab ἀναιρεῖ depravatum, certe hiulca est. 17, 4 πρόσταγμα, quod coniecit Jaeger, vel vox alia similis sensus in omnibus codicibus periit. 16, 6 θυσιαστήρια quasi glossema e v. 4 repetitum mihi recte delevisse videor. iam ambigo quomodo 14, 5-6 resarciendum sit quod legitur in libris τί ἐστι τὸ διατεταγμένον, τί θέλει ποιεῖν; spondeo tamen τί ἐστι variam eamdemque faciliorem lectionem in certo codice, sive archetypo seu potius istius patre, illi τί θέλει additum. atque etiam forsitan eruere possimus qua aetate superior hic archetypus non fuerit: siquidem enim Jaeger p. 15, 6 pro illo ὑποσχόμενος καὶ συσκεψάμενος recte, quod minime dubito, ὑπεσχόμην ὡς καὶ συσκεψόμενος coniecit, librum nobis mente effingere possumus illius aetatis qua scribendi norma pessumdata η et ε, ο et ω confundebantur, saeculi VII vel VIII.

Sed, ne statuamus omnes libros de archetypo fluxisse, unum obstare videtur: cum enim hanc epistulam omnes fere codices quasi quamdam disputationem theologicam ipso initio frustra refragrante praebeant, illius ad quem data est nomine presso, plerumque etiam vocabulo ἐπιστολή, duo tamen libri recentioris aetatis interiore adfinitate coniuncti illam testantur κηνσήντορι id est κηνσίτορι inscriptam esse, de cuius appellationis fide non dubito, ambigo tamen quomodo eam accipiam: censitoribus enim Gregorii frater, Basilius, homines pios saepe commendavit (ep. 83, 299, 312-313), quos vecti-

galium onere levarent. contra parum consentaneum est a magistratu tributis praeposito de monachorum et potissimum mulierum sanctimonialium officiis Gregorium interrogatum esse, id quod multo melius in monasterii praefectum quadrat. peropportune vero succurrit, imperatorum aetate appellationes magistratuum, ut Senatorem, Censorem [Pauly-Wissowa II A 1455, III 1902] in nomina versas esse. neque haec consuetudo magis Romana est quam Graeca vel Asiana: nam ut exempla Graeca vetusta mittamus, qualia sunt Ἄρχων Βουλεύτης Φύλαρχος Πρύτανις [multa similia congessit Bechtel, Historische Personennamen p. 514 sqq.], recentiore aetate nobiles Aegyptii vel Asiani Ἀσίαρχος Συρίαρχος Δήμαρχος vocabantur [cf. Lambertz, Glotta V 1914, 113. 139].

At iis locis quos enumeravi peccat haec familia, quam littera Φ designavi, cum ceteris libris. neque igitur dubito quin ea ad idem exemplar redeat quam reliqui, ille autem qui patrem geminorum communem, ipsum codicem Φ, scribendum curavit, nomen ex alio fonte derivarit, id quod nemo mirabitur patrum ecclesiasticorum memoriae vel mediocriter peritus. neque ulla alia propria huic libro deperdito Φ fuit virtus, neque grave est eius testimonium, quotiescumque libri in partes discedunt, nam modo verae modo falsae lectioni suffragatur testis mediocris fidei, mediocris constantiae, quamquam cum certis saepius codicibus facit. quas consensiones dissensiones breviter disceptabimus, cum reliquos codices in censum vocaverimus. cum autem ipse genitor et neglegentia quadam voculas interdum transiluerit (ut 13, 13 τὸν; 15, 2 ἐν ante γυναιξὶ; 15, 10 τὸν post μισθωτὸν) et verba ex libidine transposuerit (17, 1), filii vero vel plura peccaverint, patris culpas in apparatum admisi geminorum sordibus remotis.

Quorum alter est Laurentianus Mediceus plut. LVIII

nr. 16 (f), saeculi XV, chartaceus (cm. 22 × 16), foliorum 103, multo maiore ex parte (inde a f. 29) a manu tenui et compendiosa sed aequabili et perspicua et eleganti exaratus. continet epistulas Phalaridis, Bruti, mutuas Libanii et Basilii, quibus aliae tres epistulae Libanii adiectae sunt, Amphilochio, Optimo, Aristophani missae. sequitur epistula Gregorii Nazianzeni ad Celeusium (ep. 114), tum epistularum Iuliani sylloge omnium quae extant locupletissima, qua una multae nobis epistulae servatae sunt, ut Bidez et Cumont in editionis praefatione testantur (p. XIII); deinceps Philostrati epistulae amatoriae, deinde Gregorii Nazianzeni epistularum collectio, quarum postrema (ep. 77) in medio folio 98ᵛ, etiam in medio versu abrumpitur, deficiente videlicet exemplo. extrema verba sunt υἱῶν Ἰσραὴλ ἀλλ' ἐπη[νέθη] (p. 144B Migne). Gregorii Nysseni epistula de qua disserimus f. 99-101 complet. agmen concludunt Athanasii epistula ad Iohannem et Antiochum et Synesii epistula ad fratrem (105), nullo tamen auctoris nomine, nulla inscriptione addita. hunc librum saepe in bibliotheca Laurentiana evolvi.

Alter est Londinensis Musei Britannici Burneianus (b) 75, chartaceus forma octava, foliorum 328. saeculo XV ineunti adiudicavit qui eum descripsit, Forshall [Catalogue of mss. in the Brit. Mus. New Series II p. 25 sqq.]; unius quam nunc edo epistulae tabella photographica fretus illius iudicium confirmo. hoc ingens volumen multa continet a f aliena: multa quae Byzantina aetate in scholis legi solebant, ut Isocratis orationem ad Demonicum, formas sermonum; multa ipsorum Byzantinorum opuscula, epistulas potissimum, ut Nicolai Cabasilae, Demetrii Cydonii, Bessarionis, Gemistii Plethonis; complura etiam et aetate superiora et rariora, ut Marcelli Sidetae fragmentum, Plutarchi personati proverbia de iis quae fieri non possunt. acce-

dit Libanii epistularum collectio satis ampla, desunt contra Phalaridis, Iuliani, Philostrati epistulae quae in f occurrerant. sed reliqua quae in f leguntur, hic quoque servata sunt, neque tamen continua sed in tria quasi agmina distributa spatio quodam inter se remota: inde a f. 161 Bruti epistulae, tum, paucis interpositis, inde a f. 170 Basilii et Libanii litterae mutuae, quibus eaedem tres epistulae subiunguntur quas supra in f describendo enumeravimus, item Nazianzeni epistula ad Celeusium, Nysseni ad Censitorem, quam nunc edimus (f. 176), Athanasii ad Iohannem et Antiochum, Synesii ad fratrem. haec igitur eodem ordine quo in f disposita sunt. sed in f inter epistulam Nazianzeni ad Celeusium singularem et Nysseni epistulam Iuliani, Philostrati, Nazianzeni epistularum collectiones interponuntur. quarum duae priores hic desunt, voluminis autem in calcem, Demetrii Cydonii epistulis, aliis eiusdem opusculis insertis, Gregorius Nazianzenus reicitur. huius vero epistularum sylloge prorsus eadem est quae in f, prorsus pariter abrumpitur, ut testis oculatus asseverat Gustavus Przychocki [Act. Acad. Cracoviensis L 1912, p. 231]. cum e nullo indicio colligatur aut f e b aut b ex f esse descriptum, restat ut concludamus hos duos libros ex uno fonte manasse, epistolographorum collectione, b ex aliis exemplis auctum esse. huic opinioni favet quod, ut Bidez et Cumont in Iuliani praefatione (p. XIII) monuerunt, paene eadem Photius (cod. 207) quae in f servantur eadem serie legerat. neque magnopere obstat quod iidem adfirmant Iuliani epistulas in f ex diversis exemplaribus coagmentatas esse; nullus enim huius aetatis est liber quin opera plurima colligendi studium doctorum scribarum ostendat, atque scribam doctum ductus litterarum elegans ille quidem, sed tenuis prodit.

Iam ad alios libros transgrediamur, quos totos describere propter unum vel duo folia nihil attinet. Parisiensem 1268 (O), membranaceum, forma minore, saeculi XII, foliorum 304 Omontius descripsit [Inventaire I 282]; ipse imagine lucis ope confecta usus sum. liber ingens, cum multa canonica, tum Nemesii librum de natura hominis, Basilii de virginitate, multa Nysseni opuscula complectitur, quibus Maximi capita intericiuntur. epistulam de iis qui adeunt Hierosolyma (f. 293ᵛ) homilia de psalmo VI antecedit (f. 290ᵛ); ipsa agmen claudit Gregorii operum. subicitur opusculum quod Alexandri Aphrodiensis solutiones (f. 295ᵛ) inscribitur, serioribus autem problematis constat, si credimus Immischio [apud Bruns, praef. in Suppl. Aristotel. II 2 p. XXVI].

T(aurinensis) 71, chartaceus, foliorum 346, saeculi XIV ineuntis, ut visus est Richardo Harder qui eum Jaegeri in usum inspexit [prol. ad ll. contra Eunomium p. LX], collectionem grandem operum Nysseni continet. epistula de qua disputamus (f. 199ᵛ) inter homiliam de iis qui castigationes aegre ferunt et homilias de beatitudinibus medium locum occupat. ante eam autem quam primam nominavimus collocantur sermones de psalmorum inscriptionibus, de psalmo sexto, homilia de illo quando sibi subiecerit omnia, quae in O pariter ab hac epistula non longe distant: disponuntur enim inverso ordine homiliae de illo quando sibi subiecerit omnia, de iis qui reprehensiones aegre ferunt, de inscriptionibus psalmorum, de psalmo sexto Maximi capitibus inter primum et secundum opusculum interpositis. hanc similitudinem, praesertim cum T multa Nysseni opuscula contineat quae in O omittuntur, minime premo, quamquam singularem quamdam deprehendimus in epistula Hierosolymitana horum librorum adfinitatem. T Romam transmissum anno 1911 in bibliotheca Casanatensi contuli.

Parisiensis bibliothèque de l'Arsenal 234, membranaceus, saeculi XI, foliorum 276 (cm. 22,8 × 17, 3) (C) epistularum Basilii syllogam complectitur, quae, cum liber integer erat, 360 epistulis constabat; nunc primae epistulae numerus adponitur κγ'; epistulae Basilii 115 numero τξ' ipsa insignita Gregorii Nysseni epistula de qua disserimus subiungitur, cuius extremi versus folio postremo exciso perierunt: deficit igitur nunc in vocibus ὅτι ἐν συγκρίσει γνῶναι (p. 18, 7-8). nota possessoria testatur hunc librum fuisse „Johannis Sambucii Tirna emptum Lutetiae 7 d. 1561", cuius libros constat plerosque in bibliotheca Palatina Vindobonensi custodiri; hic contra anno 1599 Antwerpiae in collegio Societatis Iesu servabatur, ut pariter a nota possessoria didicimus. ipse tabella photographica usus sum.

Venetus M(arcianus) 79, membranaceus, saeculi XII, quem supra (p. XI sqq.) descripsi, f. 306-308 Nysseni epistulam de iis qui adeunt Hierosolyma in calce epistularum Basilii exhibet; neque tamen interiore adfinitate cum C coniungitur.

H(ierosolymitanus) Sancti Sepulchri 264, foliorum 299, ut e descriptione patet quam confecit Papadopulus Cerameus ['Ιεροσολυμιτικὴ βιβλιοθήκη IV 246], e compluribus fragmentis consarcinatus est. Nysseni epistula duo extrema folia, 298-99, chartacea illa quidem, complet. a manu nitida saeculi XIV exarata est quam in nulla alia parte huius libri Papadopulus deprehendit. imagine lucis ope confecta usus sum.

Parisiensis 1335 (X), saeculi XIV, chartaceus, forma minore, foliorum 347, plurima continet, omnia tamen quae continet ad litteras sacras pertinent (descripsit Omont, Inventaire II 14). Gregorii Nysseni epistulam (f. 92) florilegium ex Sanctis Patribus excerptum de ratione sacrae missae adeundae et de haereticis fugiendis

antecedit, secuntur (f. 93ᵛ) Basilii et Gregorii Nazianzeni epistulae variae. praestiterim hunc librum, quantus est, Cypri compositum esse: in eo enim et Neophyti Monachi libellus legitur de calamitatibus insulae Cypri anno 1190 sub Richardo Angliae rege (f. 6) et Germani Constantinopolitani ad Neophytum, Cypri archiepiscopum (f. 304) et ad Cyprios (f. 307) epistulae et historia XI sanctorum Cypri anno 1230 a Latinis rogo impositorum (f. 311), id quod velim memoria teneas, cum de horum librorum necessitudinibus disputabimus. tabellis photographicis usus sum.

Quasi unum librum (Π) tres qui secuntur codices efficiunt. tam similes enim sunt ut, praeter unum locum (p. 13, 14) ubi, cum in partes discedant, singulorum lectiones proposui, uno sigillo eos comprehendere maluerim, corruptelas peculiares — sunt vero perpaucae — prorsus praeterierim, id quod idcirco commodius fieri poterat, quod et Thessalonicensis et Laurentianus fine mutili sunt; unus integer integrum nobis Π repraesentat Vindobonensis (v) theologicus 173, chartaceus, foliorum 325, saeculi XV. quem accurate post Lambecium descripsit Nessel [Cat. Codd. gr. Vindobon. p. 252]. hic maxima ex parte opusculis theologicis et asceticis recentioris aetatis constat. Nysseni epistula (f. 314-316) inter Theodoreti quaestiones in Genesim et excerpta ἐκ Πατερισμοῦ collocata est. in ipso libro Busbeckius testatur se eum Constantinopoli emisse medio scilicet saeculo XVI.

Thessalonicensem gymnasii 1, membranaceum, foliorum 407 (cm. 34,5 × 23) (t) una manus exaravit aequabilis atque elegans saeculi XIII; opera unius Basilii 44 continet, quorum suo quodque numero est distinctum. eadem manus in folio quod nunc est extremum Gregorii Nysseni epistulam addit, nullo tamen, ut consentaneum est, numero adpicto. sed certe unum folium sequebatur:

nunc enim epistula in medio verbo abrumpitur p. 15, 8 καταγο. hunc librum et invenit et descripsit Daniel Serruys [Revue des bibliothèques 1903, 14], qui adfirmat inesse in illo adnotationem coaevam quae testetur eum monasterii Constantinopolitani τοῦ Στουδίου fuisse. imagine photographica usus sum.

Laurentianus pl. IX, nr. 20 (l), chartaceus, foliorum 150, saeculi XV, ex duabus Basilii opusculorum syllogis in unam compactis constat, quarum prior initio et fine mutila, posterior (f. 76 sqq.) peculiari inscriptione praedita est. Basilii epistula 127 Ἀμφιλοχίῳ ὡς περὶ Ἡρακλείου (sic) περὶ ἀσκήσεως καὶ βίου μοναδικοῦ inscripta (f. 74ᵛ) et Nysseni epistula (f. 75ᵛ), quae nunc priorem collectionem claudunt, alia manu scriptae sunt atque quae reliquom librum, prius dico corpus, exaravit. sed Nysseni epistulae, extrema huius codicis parte deperdita, initium tantum exstat usque ad vocem κατορθοῦται (p. 14, 23). in tanta libri l cum vt similitudine mirum est hos eamdem inscriptionem exhibere, minime genuinam sed idcirco refictam quo Nysseni monitorum vis latius pateat (ea enim de causa καὶ εἰς ἄλλους τινὰς τόπους additum est), in l contra, cum idem exstet supplementum, hanc epistulam Gregorio Nazianzeno tributam esse. neque dubito quin scriba nomen nobilioris scriptoris interpolarit ut opusculum auctoritate augeret: in communi enim exemplo Π Nysseni nomen exstabat, quandoquidem hoc in l translatum est ab epistulae scriptore ad eum ad quem epistula missa est.

Iam, uno et altero libro in posterum reiecto, a codicibus enumerandis ad lectiones perpendendas transgrediamur, quamquam in tanta et opusculi brevitate et librorum multitudine memoriaeque inconstantia nullum certum stemma delineari potest. huius epistulae codices agmini quadrato per ignota incedenti similes sunt, quod si quis relinquit, plerumque in avia aberrat, raro gloriam

adipiscitur. rem tamen si crassa Minerva administramus, duae familiae discerni possunt, quarum altera ex OTCΠ, altera ex HMX constat. OTC cum in rectis lectionibus, tum, quod gravius est, in peccatis plerumque consentiunt. neque tamen ita ut C nunquam ad hostilem aciem desciscat, ut statim initio p. 13, 8-9 τὰ σκολιὰ τὰ ἐν χερσὶν OT perperam legunt posteriore articulo prioris casui accommodato, τὰ σκολιὰ τοῦ ἐν χερσὶν recte cum reliquis C; p. 15, 22 γινόμενος OT cum Π, γενόμενος C rectius cum altera familia. cave tamen existimes O cum T interiore cognatione coniunctum esse quam cum C, quamquam p. 18, 9 κύριον, quod Psalmus testatur, pro θεὸν soli servant, p. 19, 6 οὖν ambo omittunt. nam et unam lacunam CT communicant 13, 13 verbis καὶ ἰδιάζοντα inter μονήρῃ et βίον quasi supervacaneis omissis, et est ubi OC proprium peccatum admittant, TΠ cum altera familia verum defendant. locum propono etiam alia de causa singularem, 14, 15 sqq.: ἐπεὶ δὲ καταμανθάνομεν — τὸ γινόμενον καὶ ψυχικὴν προστρίβεσθαι βλάβην nullo negotio ex adnotatione critica reciperamus. utriusque tamen lectionis partes non iisdem testimoniis nituntur; nam καταμανθάνομεν in omnibus libris legitur praeter OC; προστρίβεσθαι contra singuli codices utriusque familiae defendunt ΠX. videsne quantulum valeat familiarum discriptio? atque miram quamdam naturam Π etiam in reliquis ostendit: cum enim quaeque pagina, etiam quisque versus testimonio sit quam multa hic codex deliquerit vocibus transpositis, particulis omissis, non solum articulis sed nominibus et membris, ut p. 14, 22. 18, 18, additis, synonymis substitutis, sententiis ex libidine mutatis (p. 15, 19), plerumque solus, interdum facinoris socio sumpto uno et altero libro, cumque interdum ad aciem adversam desciscat, idque nullo discrimine modo verae lectioni suffragans (ut p. 15, 7 pro ἀναγομένῃ ὑπὸ τὸ ὑποζύγιον, quod exemplum

commune OTC praebebat, rectum ἐπί defendit), modo cum minime deberet (ut paullo infra 15, 9 pro εἴτε OTC(K), quod concinnitate commendatur, εἴπερ substituit), eo tamen carere non possumus. nam p. 14, 20 ἡ σεμνὴ πολιτεία πᾶσι πρόκειται . . . , ἴδιον δὲ τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν βίου ἡ εὐσχημοσύνη, αὕτη δὲ etc., prius δέ, quod unus Π testatur, necessarium videtur, neque tamen ambigo quin coniectura restitui potuerit. at πορνεῖαι 16, 10 (K)Π pro πονηρίαι neque ulli in mentem venire poterat et verum est: certum enim peccati genus et requiritur et loco Matthaei qui Gregorio ante mentem obversabatur, commemoratum est. item προβάλοιτο (19, 1) consona falso geminata, extrema tamen syllaba servata Π(K) praebent; quod verbum in προβάλοι ante articulum τὴν in reliquis libris depravatum est. gravius est quod in ipso epistulae exitu p. 19, 11-12 κατὰ τὴν ἐπιδημίαν τὴν ἐν Ἱεροσολύμοις rursus unus Π ἐπιδημίαν praebet; quod nomen genuinum esse, vocem autem ἀποδημίαν, quam in reliquis codicibus legimus, falsam verborum conformatio et ipsa sententiae vis declarant; adfirmatur enim spiritum dei iam omnibus qui credunt communicari, non illis tantum qui Hierosolymis adsint, ut adfuerunt Apostoli.

Alterius familiae minor est auctoritas in verborum contextu constituendo, multo maior concordia, quamquam semel loco salebroso, p. 17, 7-8, dimidia pars ad hostem descivit, ut mihi videtur, a veritate aberrantem: nam illud quod MΦ cum OTΠC praebent, συσκεψόμενος τοῖς προεστῶσι τῶν ἁγίων ἱεροσολυμιτῶν ἐκκλησιῶν (ἐκκλησίας Π) vix tolerari potest, quoniam ἱεροσολυμίτης ad substantivum femininum pertinere nequit; facili coniecturae ἱεροσολυμιτικῶν consuetudo scribendi Gregorii obstat (cf. p. 17, 5 τῆς κατὰ τὴν Ἀραβίαν ἐκκλησίας); lectio τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις ἁγίων ἐκκλησιῶν, quam soli HX tuentur, multo praestat (cf. 13, 14-14, 1 τοὺς ἐν Ἱεροσολύμοις τόπους). X saepe peccat, nusquam tamen ut fallat. Φ propriis virtutibus omnino caret, neque illius corruptelas enumeravi nisi ut ostenderem eius laudem uno nomine Censitoris servato contineri.

Adhuc neglеximus testem singularis inconstantiae K, Vaticanum 1455, chartaceum, foliorum 364 (cm. 24 × 19), qui propter ingentem molem nunc in duo volumina divisus est, ut posterius a f. 183 ordiatur. sed fuit cum liber peculiaris iam f. 176 concluderetur, ut subscriptio docet ἐτελειώθη ἡ παροῦσα βίβλος διὰ χειρὸς ἐμοῦ Ἰωάννου τοῦ Ἱεράκη μηνὶ μαρτίω ἰνδικτιῶνος ιβ' ἔτους, ςωζ, id est a. p. Chr. n. 1299. epistula Nysseni f. 177 sequitur a manu coaeva sed quae antiquam elegantiam adfectet scripta; pertinet usque ad f. 179ᵛ, spatium post eam vacuum relinquitur. subicitur f. 180 epistula adespota, quae incipit a verbis Πάλιν σοι φυλακή, τέκνον ἠγαπημένον, atque fine mutila est. prior liber sive in Armenia seu potius in monasterio monachorum Armeniorum compositus est, ut tales inscriptiones docent: (f. 1) περὶ τῶν γεγονότων ἐν Ἀρμενίᾳ etc.; (f. 7) ἐπιστολὴ πεμφθεῖσα παρὰ τοῦ μακαρίου πάπα Θωμᾶ πατριάρχου Ἱεροσολύμων πρὸς τοὺς κατὰ τὴν Ἀρμενίαν αἱρετίζοντας, (f. 25) τῷ ὑψηλοτάτῳ καθολικῷ πάσης τῆς Ἀρμενικῆς ἐκκλησίας κυρῷ Κωνσταντίνῳ. sed etiam de supplementis coaevis, quae a f. 177 initium capiunt, idem valet, nam f. 292 versus quosdam Armeniacis litteris exaratos exhibet. singulare est eiusdem folii in pagella postica litteras arabicas legi, in f. 299 fidei professionem latinam. suspiceris librum monasterii Armeniaci in usum scriptum esse, quod fuerit in insula Genuensibus vel Venetis subiecta. peropportune vero accidit ut in f. 221ᵛ adnotatum sit Constantino Pogonato imperatore, cum Saraceni Cyprum in suam dicionem potestatemque redegissent, Cypri archiepiscopo sedem Cyzicenam adsignatam esse secundum canonem XXIX concilii Trul-

lani [1]) (a. 680-681). atque Cypri constat multos Armenios habitasse iam anno 1311, plures eodem migrasse anno 1322 [Hackett, A history of the orthodox church of Cyprus, London 1901, p. 523]. pariter librum aliquatenus singularem X Cypri compositum esse nobis effecisse videmur. fuit K cardinalis Sirleti.

Libri K ut origo ita indoles singularis est. nam nullus alius codex tot tantisque lacunulis hiat, nullus tam contumaciter interpolatus est. extremis verbis additam doxologiam facile condonamus: talia enim scriba suo quisque arbitrio fingit, quamquam in verbis οὐ κατὰ τὴν ἀποδημίαν τοῦ χαρίσματος τὴν ἐν Ἱεροσολύμοις, οὐ μετόχους γενομένους etc. illae voces τοῦ χαρίσματος a praecedenti versu repetuntur, μετόχους quoque inde fluxit. sed monita ut virgines sanctimoniales domibus contineantur prorsus inepte post Παλαιστίνην (18, 19) interpolantur. etiam ille accusativus ἐξαιρέτως τὰς μοναζούσας unde pendeat, haeremus. sentimus monachum monacharum propter licentiam vivendi iratum, neque qua iste natione fuerit dubium est. cum enim legamus (17, 5-6) Gregorium, ut ecclesiam Arabicam corrigeret, μέχρι τῶν τόπων γενέσθαι, sive τούτων cum Jaegero adiungimus sive verba sana existimamus, illud quod est τῶν τόπων nullo negotio ad Arabiam referimus; τῶν ἀρμενικῶν addidit K, ut scilicet patriam gloria augeret. atqui est huius libri aliqua virtus. cum enim plerumque familiam OTCΠ sequatur libro Π vel fidelius, cumque interdum alios cum aliis libris errores communicet (p. 13, 13 καὶ ἰδιάζοντα βίον OMXΠΦ: βίον καὶ ἰδιάζοντα HK; p. 15, 10 τὸν post ἔχει om. KΦ etc.), semel cum Π, quicum etiam vitia communicat (ἐπανηρημένοι 13, 13-14; 14, 2 ἔχει; 18, 13 πλήρεις al.), veram lectionem servavit

[1]) qui paullo aliter comparatus est; neque enim Cyzicus, sed Iustinianopolis Nova Iohanni Salaminae Cypriae praesuli adtribuitur, Cyzicenus episcopus Iustinianopolitano subicitur.

p. 16, 10 πορνεῖαι; bis solus ex omnibus quos adhibuimus: p. 16, 13 enim (μηδαμοῦ τοιαύτην εἶναι ἑτοιμότητα πρὸς τὸ φονεύειν ὅσην ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις) ὅσην unus legit, ὅσον reliqui testantur praeter Π qui hoc verbum omisit; p. 18, 16 (τοσοῦτον ἀπέχεις τοῦ τὸν Χριστὸν δέξασθαι) reliqui illud τοῦ omittunt. sed haec laus exemplo deferenda est a quo K fluxit, non ipsi scribae: nam hic τοσοῦτον ἀπέχεις omisit. videsne ut particulam contextui prorsus necessariam ille liber unus servaverit in quo uno absurda sit?

Item τοσοῦτον ἀπέχεις τοῦ Vaticanus 840 testatur, chartaceus, foliorum 244 (cm. 30 × 21), saeculo XIV a variis scribis exaratus, e quibus unius nomen novimus: f. 39^v enim monocondylon non sine ullo negotio legitur διὰ τοῦ Ἰσαὰκ ἐγράφη. idem in f. 238^v subscripsit ἐτελειώθη διὰ τοῦ ἱερομονάχου Ἰσαάκ. sed ipsi libro quasi quidam fasciculus foliorum 14 praefixus est, quem aperit (f. 1-2) Γρηγορίου Νύσσης ἀδελφοῦ τοῦ μεγάλου Βασιλείου πρὸς τοὺς ἀπιόντας εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα; secuntur (f. 2-3) Βασίλειος Γρηγορίῳ ἑταίρῳ, id est Basilii epistula II; (f. 3-6) Ἰωάννου μητροπολίτου Ῥωσίας ἐπιστολὴ πρὸς Κλήμεντα πάπαν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης; deinceps mutat manus, secuntur Pselli versus, alia minuta excerpta, theologica plerumque. totum fasciculum in Rossia vel certe sacerdotis graeci in Rossiam missi in usum compositum esse non uno ex indicio colligitur: nam et Iohannis metropolitae Rossiae, ut monui, epistulam continet, et (f. 9) χειροτονίαν διαφόρων ἐπισκόπων καὶ ψήφους, id est qui monachi graeci Theognosto metropolita ecclesiarum Rossicarum episcopi creati sint, quando quisque solium ascenderit. scriptae sunt hae adnotationes inter annos 1328 et 1347, ut demonstravit qui eas in lucem produxit, Regel [Analecta Byzantino-Russica, Petropoli 1891, p. 52-56; 32-37]. fuit hic liber Antonii Augustini episcopi Ilerdensis.

Consentaneum est librum in extrema graecitatis ora scriptum peculiaris memoriae vestigia servasse, id quod item in K deprehendimus. itaque, praeter locum quem laudavimus p. 18, 16, duobus aliis locis cum binis sodalibus rectam lectionem defendit: p. 14, 16 προστρίβεσθαι cum ΧΠ; 17, 8 τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις ἁγίων ἐκκλησιῶν cum ΗΧ. sed in reliquis iam talis est ut non sit pretium operae inde varias scripturas enotare. totum contuli, paucas lectiones hic propono: 13, 7 οἱ falso ante ἀπευθ. cum ΗΜΧΦ; 13, 9 τοῦ recte cum CHMXKΠΦ; 13, 11 τούτοις recte cum OTCKΠ; 13, 13 καὶ ἰδιάζοντα perperam om. cum HK; 14, 6 αὐτὸς ἑαυτὸν peculiari corruptela; 14, 15 καταμανθάνομεν recte cum THMXKΠΦ; 15, 9 εἴπερ falso cum HMXΠΦ; 15, 22 γενόμενος recte cum CHMXΦ; 16, 7 πλείων recte cum HMXΦ; 16, 10 πονηρίαι falso cum OTCHMXΦ; 16, 13 ὅσον cum omnibus praeter KΠ. iam elucet hunc librum e familia in familiam volitare nullo veri aut falso discrimine. qua re, cum praesertim nollem apparatum innumeris corruptelis obruere quibus nihil proficimus, eum abieci confisus Gregorium nihil inde detrimenti capturum.

Item Vaticanum 713, chartaceum, saeculi XIII (cm. 27 × 19) contuli, collatum abieci. fuit cum hic codex cum codice 712 unum volumen foliorum 374 efficeret, quod aliquando, cum propter ingentem molem dilaberetur, bifariam divisum est. sed iam illa aetate multa exciderant, quae magna ex parte a manu saeculi XVI suppleta sunt; multa in alienum locum intrusa erant. hic liber nunc etiam initio mutilus est. continet epistularum collectionem locupletissimam, inter quas Basilii, Gregorii Nazianzeni, Synesii, Theophylacti Simocattae, Isidori Pelusiotae syllogae eminent; sed accedunt cum plurimae aliae epistulae, quae praesertim cum historia episcopatus Constantinopolitani quovis modo cohaerent, tum excerpta theologica e Chrysostomo, e Nysseno, complura alia eiusdem generis. Nysseni epistula quam edimus (f. 282), ut nunc hic liber se habet, syllogen epistularum Basilii sequitur (f. 201 sqq.), Gregorii Nazianzeni (f. 283 sqq.) antecedit, Athanasii epistula ad Iohannem et Antiochum presbyteros (f. 282ᵛ), cui sescenties occurrimus, interposita. hic liber, nisi quod p. 18, 16 cum K Vat. 840 τοῦ servat, nulla propria laude conspicuus est, sed gregarius quidam: cum plerisque enim semper facit, sive illi vera testantur seu peccant, ut p. 14, 15 καταμανθάνομεν recte, sed insequenti versu προστρίβεται perperam, item v. 17 οὐκέτι falso; 15, 7 ἐπὶ et 22 γενόμενος, utrumque recte; 16, 7 πλέον et 10 πονηρίαι, 17, 8 τοῖς τῶν ἁγίων Ἱεροσολυμιτῶν ἐκκλησιῶν, omnia haec perperam; sed cum plebe ipsis in peccatis timidus est ut singularia et insolentia vitet.

DE EPISTULAE III CODICIBUS

Epistula tertia, nisi specie vana decipimur, uno nobis libro tradita est, Vindobonensi theologico 35, chartaceo (cm. 35 × 26), foliorum 20, saeculo XIII multis compendiis a manu pertenui sed accurata et aequabili scripto. hic codex, quem siglo W distinxi, nihil aliud, qua est exiguitate, continet nisi aliquot Nysseni opuscula hoc ordine: (f. 1) de fato inde a vocibus προσῆγον ἐγώ τινι ἀνδρὶ πεπαιδευμένῳ (PG 45, 148B Migne), prooemio scilicet omisso; (f. 2) de proposito secundum deum; (f. 3ᵛ) contra fornicarios; (f. 4) ad Ablabium, διὰ τί, μίαν θεότητα ἐπὶ Πατρός, Υἱοῦ καὶ Πνεύματος λέγοντες, τρεῖς θεοὺς οὐ λέγομεν; (f. 5) contra Graecos ex communibus notionibus; (f. 6) encomium in fratrem Basilium; (f. 8ᵛ) orationem de mortuis; (f. 12) ad Simplicium tribunum de fide; deinde (f. 13) uno minimum folio exciso vitam Macrinae inde a verbis τῷ ὄντι γὰρ καθάπερ τις δρομεὺς (p. 392, 4, vol. VIII, 1 Jaeger); deinceps

(f. 14v) de infantibus qui praemature abripiuntur; tum (f. 17v) hanc quam edimus epistulam; deinceps (f. 18v) epistulam ad Eustathium de trinitate; (f. 20v) epistulam canonicam ad Letoium Melitenensem. hunc librum Gottingam transmissum a. 1913 examinavi; collationem meam epistulae ad Eustathiam Ambrosiam Basilissam denuo cum imagine photographica contuli: tinearum enim morsus hic illic legenti negotium faciunt.

Ad reliquos venio, quos postquam contuli, prorsus esse inutiles cognovi, nisi ubi novas coniecturas praebent cum faciles tum probabiles. omnes de libro W manasse pro certo habeo. Londinensis Musei Britannici Old Royal 16 D.XI, chartaceus saeculi XVI, forma maxima, ut e descriptione apparet quam composuit Casley [Catalogue of the mss. at the King's Library, Londinii 1734, p. 256] (equidem usus sum imagine lucis ope expressa illius partis cuius mea intererat), post alia Nysseni opuscula eadem scripta continet quae W, eodem ordine disposita inde a disputatione de fato usque ad epistulam ad Eustathium de trinitate (epistula enim canonica ad Letoium omittitur). accedit quod diserte notatur in hoc quoque libro Macrinae vitae partem desiderari priorem quae in W folio exciso periit. qua propter suo quisque iure coniectabit librum Londinensem e W descriptum esse praeter prima folia, haec vero de alio fonte manasse. id quod inde confirmatur, quod oratio de mortuis bis in Londinensi occurrit, et eodem loco quem in W occupat et in parte libri disputationi de fato praemissae. duo igitur exemplaria scribae Londinensis oculis obversabantur, quae transscribendo non tantum contaminavit quantum continuavit.

Parisiensis 583, chartaceus, foliorum 205, saeculi XVI vel XVII, quem horum apographorum unum siglo distinxi (Q), multa multorum continet, in quibus Gregorii

Nysseni opusculum de communibus notionibus et (f. 6v) epistula quam edimus primum locum occupant. sequitur (f. 12) Georgi Hamartoli fragmentum de Heraclio imperatore. cum complures (f. 45 et 173) complecteretur Federici Morelli scripta, quem fratri Claudio typothetae editionis Parisinae anni 1615 auctorem exstitisse nuper in praefatione ad libros contra Eunomium exposuit Jaeger (p. LVII sqq.), suspicatus eram Federicum (neque enim eius manum novi) hunc librum exarasse. sed erroribus scatet e recentiorum Graecorum pronuntiatione ortis quales nemo vel mediocriter litteris imbutus admittere poterat. sed vir doctus — quis nisi Federicus? — hunc librum, si non exaravit, at certe et exarari iussit et relegit: nam margines coniecturis, illis quidem minimi pretii, asperguntur, ut p. 20, 15 κύλην pro κοίλην, quod in W legitur, scripserat Q, κοινὴν in margine adnotavit manus coaeva; item p. 22, 3 ἐχροὺς scriba festinanter pro ἐχθροὺς scripserat, χείρους in margine coniecit eadem manus quae κοινήν. alia coniectura ad p. 23, 4 mox disceptabitur. tabellis photographicis usus sum.

Parisiensis graecus 1026, chartaceus, foliorum 148, saeculi XVI, forma parva, continet Iohannis Chrysostomi libros II de compunctione cordis e codice bavarico depromptos, eiusdem ad Theodorum lapsum, tum Iohannis VIII papae epistulam ad Photium patriarcham, deinceps (f. 142) hanc Nysseni epistulam. imagine photographica usus sum.

Urbinatem 10, saeculi XVII, supra (p. XXIX sq.) tetigi, qui (f. 197) hanc quoque epistulam complectitur. ipse Romae nullo fructu contuli.

Concinunt hi libri omnes mirum in modum et inter se et cum W, sed tamen hic illic ita peccant ut erroris origo nisi e W repeti non possit, ut p. 20, 15 pro recto ὑλικὴν, quod suo Marte restituit Casaubonus, κοίλην

scripserat W, ita tamen, quae est eius consuetudo, ut ο et ι fere conglutinarentur et speciem unius litterae υ efficerent: κύλην legunt omnes apographi praeter Urbinatem. litterae ο et η in W saepius atramento effuso facile confunduntur; ἡ καταλιπὼν 20, 14-15 scripserunt et Q et Londinensis; ὁ ἡμετέρα 24, 18 omnes praeter Urbinatem, in margine tamen Parisini 1026 ἴσως καὶ πάντα δι' ὧν ἡ adnotavit manus aequalis: utrobique sed magis altero loco potius maculam quam lacunam in W dispeximus. 25, 20 περιδρασσόμενος intenta oculorum acie legitur in W, sed litterae μ cauda sinistrorsum producta cum praecedenti ο ita nectitur ut qui festinantius legat, sibi αμ dispexisse videatur: περιδρασσάμενος praebent Parisinus 1026 et Urbinas. στίγματι pro recto στίγμασιν 22, 1 Q et Londinensis scripserunt: -σιν compendio tachygraphico significaverat W.

Atque Q cum Londinensi artiore quodam vinculo coniungi satis declarant quae adnotavimus; sed aliis indiciis idem confirmatur: p. enim 22, 23, quod unum verum est, ἕως ἂν οὖν W servavit atque Urbinati fideliter tradidit; Q et Londinensis in ἕως γὰρ ἂν οὖν corruperunt, quamquam W, quantum video, ansam huic interpolationi praebet nullam. sed operam et oleum perdet qui exemplari communi incolumi apographorum necessitudines persequetur.

Illud paullo gravius est, quod p. 23, 4-5 κατὰ τὴν γνῶσιν ὑπὲρ ὧν οἴονται κατειληφέναι scribit W, quae lectio omnibus perspicua erit praeter tirones attractionis inscios („pro illis quae opinantur se percepisse"), ὑπέρεστιν in locum illius ὑπὲρ ὧν et Q et Londinensis et Parisinus 1026 substituunt sine ullo sensu. quod crimen non diversi singillatim scribae admiserunt sed unus, is scilicet qui librum conscripsit deperditum per quem illi tres apographi de W fluxerunt. eodem pertinet quod 23, 2 βοῶντες apographi pro βοῶντος libri W

substituunt. atqui, quamquam erat haec medela levissima, hoc tamen unum spoponderim, fieri non potuisse ut ea scribae libri Q in mentem veniret, qui stultissimus fuit. propter tales coniecturas nolui apographos, ut artis lex postulabat, omnes abicere, sed unum Q delegi, cuius lectiones paucas selectas in adparatu adnotarem.

Multo et plures et, ut par est, meliores coniecturas praebet editio huius epistulae quae Lutetiae Parisiorum prodiit anno 1606 cura Isaaci Casauboni, qui in praefatione Lutetiae VIII Id. Iun. data narrat sibi accidisse ut hunc libellum sive epistulam aliquot mensibus ante amicorum beneficio nancisceretur. consentaneum igitur est illum codicis qui in alia urbe lateret apographum suum in usum confectum adhibuisse. fuit tamen hic codex non ipse W, quamquam a W sine dubio manavit. nam cum Casaubonus in hac certe editione coniecturas vel levissimas, ut est p. 23, 18 μεθαρμοζομένης illi μεθαρμοζόμενος substitutum, diserte et proponat et defendat, non raro lectiones quae in Q vel in aliis apographis occurrunt nullo verbo adiecto exprimendas curat, ut βοῶντες 23, 2; τὸ 24, 12: invenerat scilicet illas in exemplo. ipsas igitur Casauboni coniecturas nomine Casauboni munivi ut eas a lectionibus exempli c distinguerem, ex quibus paucas proposui; quamquam timeo ut operae pretium fecerim.

Atque suspicor sive exemplum c sive ipsam Casauboni editionem ei in manibus fuisse qui Q correxit. illo enim loco quem iam supra (p. XLVIII) attigimus, p. 23, 4 κατὰ τὴν γνῶσιν ὑπὲρ ὧν οἴονται W tradit, ὑπέρεστιν scribit Q; ἥνπερ αὐτοὶ legimus in editione Parisina nulla adnotatione addita. invenerat scilicet Casaubonus hanc lectionem in exemplo, unde confirmatur istud a W intercedente alio libro pendere; nam cui vel leviter graeca lingua imbuto in mentem venisset ex ὑπὲρ ὧν, quod et sanum et satis perspicuum est, ἥνπερ αὐτοὶ effi-

cere? at qui c exaravit ὑπέρεστιν cum Q legit atque suo Marte mutavit. ἥνπερ αὐτοὶ praebet margo libri Q. quaestiones nullius ponderis iam mittamus, ad epistulas IV-XXVIII transeamus.

DE CODICIBUS EPISTULARUM IV-XXVIII

Hae epistulae non iam singillatim, sed collectionibus traditae sunt, quae, quantum novimus, tres servantur, ita inter se diversae ut nulla nunc quidem omnes epistulas amplectatur, nulla prorsus easdem atque duae reliquae. atque istae syllogae singulis exemplaribus continentur.

P(atmensis) 706, chartaceus, foliorum plus minus 360 quae nullo numero distinguuntur, a manu elegantissima exaratus est. hunc librum ineunte saeculo XIII monasterium Sancti Iohannis Patmense iam possidebat; nam in catalogo anni 1201, quem edidit Carolus Diehl [Byzantinische Zeitschrift I 523), inter βυβλία τὰ βαμβύκινα unum recensetur ἔχον ἐπιστολὰς τοῦ Πηλουσιώτου Ἰσιδώρου, τοῦ Νύσσης καὶ ἑτέρων, quod nullum aliud esse potest. saeculo XII adsignavit Paulus Maas; si quis saeculo XI adtribuerit, illi suffragabitur genus scripturae tenue et minime anxium atque ligatum, sed liberum atque solutum, non repugnabunt neque compendia, tachygraphica pleraque, quibus scatet, neque charta; hanc enim iam ante saeculum XII ad codices componendos adhibitam esse iam constat inter omnes scripturae graecae aetatis mediae peritos, ut Pius Franchi de' Cavalieri et Iohannes Lietzmann [specimina codicum graecorum p. VI] Vaticanum graecum 2200 chartaceum ad saecula VIII-IX referre ausi sunt. ingentis voluminis margines tinearum morsus perpessi sunt, compages labefactata est, ut iam prima folia usque ad quartam fere partem, extrema inde a medio

libro non iam conglutinata sint sed soluta vagent. hic liber multo maiore ex parte epistularum syllogis constat, quas eadem manus numeravit quae verborum contextum scripserat. quattuordecim minimum sunt: (A′) Isidori Pelusiotae initio mutila (epistulae 510); (B′) Alexandri metropolitae Niceni, qui fuit medio saeculo X (20 epistulae, partim ad eosdem datae ad quos epistulae quarum in describendo libro B mentionem iniecimus, ut animadvertit I. S. Mercati, Rivista di Studi Orientali X 219, 2); (Γ′) Theodoreti episcopi Cyrrensis (plus 52 non numeratae; unum folium media e collectione excidit); (Δ′) Gregorii Nysseni; (E′) Theodori πατρικίου καὶ σακελλαρίου; (ϛ′) Symeonis μαγίστρου καὶ λογοθέτου τοῦ δρόμου (81 epistulae); (Z′) Leonis Syncelli Synadorum metropolitae, qui pariter medio saeculo X floruit (epistulae 30, subiungitur eiusdem testamentum). inde a collectione octava (= H′), quae ἐπιστολαὶ διάφοροι inscribitur atque initium capit ab epistula Ἀντωνίου πατριάρχου πρὸς τὸν βασιλέα, cum folia passim errantia in alienum locum irrepsissent, non iam Paulo Maas contigit ut omnia rursus inveniret quae Sakkelion [Πατμιακὴ βιβλιοθήκη, Athenis 1890, p. 274] enumeraverat, ut Φωτίου πατριάρχου (Θ′?), Ἰουλιανοῦ παραβάτου (I′? sunt vero epistulae CLXXXVI et CXCIII, ut Bidez et Cumont testantur, praef. ad Iuliani epistulas p. X, qui hunc librum ad saeculum XI-XII referunt), Ἰωάννου μοναχοῦ ὄρους τοῦ Λάτρους (IA′), ἀδήλου (IB′). numeros certe IΓ′ Procopii Gazaei, IΔ′ γνωστικοῦ τινος epistulis adpositos Maas oculis suis occurrisse ipse narrat; monet gnosticum Φιλητὸν quemdam Συναδηνὸν fuisse, illius epistulas ad Nicephorum Uranum μάγιστρον Ἀντιοχείας missas esse, qui fuit anno circiter 1000. deinde secuntur Romani Lacapeni imperatoris (920-944) epistulae ἀπὸ φωνῆς Θεοδώρου τοῦ Δαφνοπάτου, tum Constantini Porphyrogeniti (912-959) epistulae, multa alia.

Collectio Δ′ Gregorii Nysseni epistulas 6. 21. 7. 26. 27. epistulam Gregorii Nazianzeni 238, genuinam illam quidem, quamquam hic τοῦ αὐτοῦ adponitur. 28. 18. 4. 9. 23. 10. 19. 20 complectitur. duo folia collectionis E′ post folium 14 syllogae Δ′ inculcata epistulam 19 in duas partes ita dividunt ut nihil perierit; epistula 20 in verbis abrumpitur ἐξῆν τῶν βοτρύων (p. 70, 9 editionis nostrae) in fine folii. ζήτει τὰ λείποντα in margine adnotavit eadem manus quae librum conscripsit, unde Maasius recte conclusit iam in exemplo unde P manasset, hanc epistulam mutilam fuisse. eodem spectat quod scriba insequens folium vacuum reliquit, ut scilicet suppeditaret ubi extremam epistulam adiceret, si eam in alio exemplari invenisset. atque, si non certum, at verisimile est, illum, ut Maasius opinatus est, unum vel duos versus post extremum quem transscripsit in exemplo superstites omisisse, ne novum folium inchoaret idemque imperfectum relinqueret; neque enim scriptura in extrema pagina aut coartatur aut dilatatur, ut necesse est fieri, quotiescumque chartae et scriptionis finem eumdem esse volumus.

Hanc libri P descriptionem Paulo Maas acceptam refero; qui, postquam Sakkelion hunc codicem breviter descripserat atque plura inde Byzantina in lucem protulerat, Gregorium tamen ne primoribus quidem labellis attigerat, vere anni 1912 Patmum profectus, mense Aprili totum librum versavit, partem cuius nostra maxime intererat, accuratius exploravit atque etiam quaternionum compagem delineavit, ne ulli dubitationi locus relinqueretur, num in foliis a collectione Δ avulsis iam per librum circumvolitantibus etiam nunc Gregorii aut epistulae aut epistularum fragmenta laterent. idem in actis minoribus Academiae Berolinensis [Sitzungsberichte der preussischen Akademie der Wissenschaften, 1912, p. 988 sqq.] descriptionem delineationemque proposuit; ibidem epistulas 26. 27. 28 primum edidit, quarum forma prisca atque genuina, quae uno P continetur, etiam tum prorsus ignota erat. circumferebatur, Basilii et Libani epistulis mutuis intrusa, recensio quaedam mutila, corrupta, adulterata, quae nulla iam certa aut loca aut tempora saperet. Maasii collationem reliquarum epistularum adhibueram ad hanc editionem adornandam; cum prima duo folia iam dudum a typotheta composita atque expressa essent, fere totius syllogae Δ′ imagines phototypicas accepi, quas Ioseph Silvius Mercati, cum Patmi aestate anni 1923 versaretur, ultro meum in usum, qua est erga me benignitate, confecit mihique dono misit. cum plagulas, ut par erat, cum tabellis contulissem, tum demum perspexi quanta fide Maasius officium quod ei mandatum erat exsecutus esset: nihil enim erat quod corrigerem praeter paucas minutias in adnotatione.

F(lorentinus) Laurentianus plut. LXXXVI nr. 13, membranaceus, in foliis 253 (cm. 25 × 12) ab una manu eleganti saeculi XIII, quae compendiis plerumque solum in inscriptionibus et in fine versuum utitur, totus exaratus est praeter duo folia praevia (1ᵛ-2ᵛ), in quibus, cum vacua relicta essent, excerpta quaedam theologica et ascetica manus coaeva sed multo et minus elegans et compendiosior notavit, neque tamen spatium complevit. nunc in f. 1ᵛ, vetustioris possessoris nomine ita eraso ut vestigia tenuissima supersint, legitur βιβλίον Σκιπίωνος τοῦ Καρτερομάχου, Scipionis scilicet Forteguerri Pistoriensis (1466-1515), cuius libri plerique in Fulvii Ursini possessionem, inde in bibliothecam Vaticanam transierunt. insunt (f. 3-84ᵛ) τῷ ἀδελφῷ δούλῳ θεοῦ Πέτρῳ ἐπισκόπῳ Γρηγόριος ἐπίσκοπος Νύσσης de hominis opificio; (f. 85-151) τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου ἐπισκόπου Νύσσης λόγος περὶ ψυχῆς· πρὸς τὴν ἰδίαν ἀδελφήν. huius disputationis fini (p. 151ᵛ) subicitur τέλος τοῦ

περὶ ψυχῆς λόγου; deinceps nullo spatio interiecto ἐπιστολὴ τοῦ αὐτοῦ πρός τινα Ἰωάννην περί τινων ὑποθέσεων καὶ περὶ τῆς διαγωγῆς καὶ καταστάσεως τῆς τοιαύτης[1]) ἀδελφῆς αὐτοῦ Μακρίνης = ep. 19. deinceps (f. 155^v) nullo item spatio interiecto epistula 13 Λιβανίῳ inscripta sequitur, quae usque ad finem quaternionis (f. 156^v) ita pertinet ut scriptura sensim coartetur, ne terminum sibi designatum excedat. a f. 157 novam quamdam libri partem initium capere et ornamenta indicant et inscriptio quae rursus a scriptoris nomine orditur: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου ἐπισκόπου Νύσσης: λόγος περὶ κατηχήσεως. f. 211 concluditur verbis κατὰ τὴν αἰωνίαν ἀντίδοσιν (PG 45, 105B Migne). ἀμήν: τέλος τοῦ κατηχητικοῦ. secuntur nullo spatio relicto τοῦ αὐτοῦ ἐπιστολαί· ὧν ἡ παροῦσα πρὸς Ἀδέλφιον σχολαστικόν = ep. 20 (f. 211-213^v). secuntur epistulae (f. 213^v-215) 29, (f. 215-216) 30, (f. 216-217) 6, (f. 217-217^v) 7, (f. 217^v-218) 8, (f. 218) 9, (f. 218^v-219) 11, (f. 219-219^v) 12, (f. 220-221) 14, (f. 221-221^v) 15, (f. 221^v-222) 16, (f. 222-223^v) 4, tum (f. 223^v-230^v) duae epistulae quae cum in compluribus aliis libris legerentur longioresque essent atque in theologia totae versarentur, editores eas inter disputationes exprimendas curarunt, qui vero hanc collectionem concinnavit, epistularum loco habuit: (f. 223^v-226^v) τοῦ αὐτοῦ Σιμπλικίῳ περὶ πίστεως (vol. III, 1 p. 61 Jaeger); (f. 226^v-230^v) τοῦ αὐτοῦ πρὸς Θεόφιλον Ἀλεξανδρείας κατὰ Ἀπολιναρίου (vol. III, 1 p. 119 Jaeger); (f. 230-230^v) ep. 21. deinde rursus (f. 230^v-235^v) τοῦ αὐτοῦ πρὸς Ἁρμόνιον περὶ <τοῦ super versu additum est> τί τὸ τῶν χριστιανῶν ὄνομα (PG 46, 237 Migne); tum epistulae (f. 235^v-236) 10; (f. 236) 22; (f. 236^v-239^v) 17; (f. 239^v-241) 18; (f. 241) 23; (f. 241^v-243^v) 24; (f. 243^v-245^v) 25.

[1]) τῆς τοιαύτης nunc quidem „eiusdem" intellego, quam nuper dixerat scilicet.

nihil amplius illo exemplo suppeditabatur a quo F manavit; nam scriba, qui quantum horruerit vacua, nulla fere est huius libri pagina quae non clamet, excerptum quoddam minutum subiunxit, quod inscribitur τοῦ ἁγίου Μαξίμου ἀπολογία ὑπὲρ τοῦ αὐτοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Νύσσης διὰ τὸ γνωματεῦσαι ἀποκατάστασιν τελευταῖον (sic, per compendium sed perspicue) τῶν ψυχῶν γενήσεσθαι ἐν τοῖς αὐτοῦ λόγοις, incipit ἐπειδὴ ὁ ἐν ἁγίοις Γρηγόριος, exit in verba τὸν δημιουργὸν ἀναίτιον τῆς ἁμαρτίας; idem haec multo pluribus compendiis scripsit quam solet, ut excerptum spatio aequaret. iam usque ad finem libri (f. 246-253^v) δημοσθενικὸς λόγος pertinet, id est Epitaphius qui Lysiae tribui solet, quemque mihi persuasum est ea una de causa transscriptum esse, ut extremarum paginarum esset aliquis usus. atque, ut solet, calligraphus spatium tam scite dimensus est ut totam orationem haec folia caperent, ne verbo quidem locus superesset. F bis contuli, primo cum exemplo Mignei, iterum cum plagulis huius editionis.

V(aticanum) 424, membranaceum (cm. 32 × 20), saeculo XIII in foliis 347 binis columnis scriptum diligenter descripsit Wernerus Jaeger [prol. ad libros contra Eunomium p. XXV], a quo pauca quae maxime necessaria essent in meum usum converti. epistulae 29 et 30 (f. 55 et 55^v) Basilii libros contra Eunomium quinque excipiunt, Nysseni Antirrhetico (f. 61-295) praecedunt. hunc consequitur (f. 295^v) nullo auctoris nomine praefixo epistula 238 Nazianzeni, quae pariter in P occurrit, in V inscribitur <τ>ῇ εὐλαβεστάτῃ καὶ διαπαντὸς κεκοσμημένῃ ἀδελφότητι τῇ κατὰ Σαβαδωναὴμ τοῦ τρισμακαρίου Λευκαδίου συνοδίᾳ ἐν μονάζουσι καὶ παρθένοις ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ Γρηγόριος ἐν Κυρίῳ χαίρειν; (f. 295^v) ἐπιστολὴ τοῦ μεγάλου Ἀθανασίου; (f. 296) τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Νύσσης πρὸς Εὐσέβιον, id est epistula 4; (f. 296^v) τοῦ ἁγίου Γρηγορίου ἐπισκόπου Νύσσης ὅτι ὁμοού-

σιος ἡ τριὰς καὶ ὅτι μία ἡ θεότης ἐν ταῖς τρισὶν ὑποστάσεσιν; deinde (f. 298) τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Νύσσης εἰς τὴν ἐπιγραφὴν τῶν ψαλμῶν; iam (f. 340) sequitur epistula 5 ita inscripta ut in apparatu transscribere studui; deinceps inde a f. 340ᵛ epistulae 6-18. sed nomina eorum ad quos datae erant, cum scriba huius codicis vel illius codicis unde V est descriptus, rubricatori supplendas reliquisset, nunc non exstant. multa in textu quoque omittuntur spatiis relictis: fenestris igitur exemplum a quo V derivatus est hiabat. ego vero, cum spatia vacua in meo exemplari singillatim dimensus essem, nolui tamen eas ratiocinationes in editione proponere: intellexi enim libro F collato scribam libri V, ut nobis accidit quotiescumque in plagulis lacunas explendas relinquimus, non semper tanta religione munus administrasse ut ei tuto confideremus.

Quattuor manus Jaeger distinxit. horum primam cum epistulas 29 et 30 tum priorem Nysseni Antirrhetici partem usque ad f. 258ᵛ exarasse; secundam cum posteriorem Antirrhetici partem tum omnia quae secuntur usque ad f. 297ᵛ, in his epistulam Nysseni 4; tertiam tractatus in Psalmos; quartam epistulas Gregorii 5-18. illae igitur epistulae quas tractamus a tribus manibus in hoc libro exaratae sunt.

Iam de mutua codicum ratione videamus. V et F ab una recensione Γ provenisse non primo statim obtutu elucebit; quin etiam epistularum indiculos percurrenti satis diversi videbuntur. sed est tamen nucleus aliquis communis: ut enim numeris utamur editionum, qui ab epistula 5 usque ad 18 V repraesentant, F et epistulas 17-18 et, id quod multo gravius est, epistulas 6-16 eodem ordine exhibet quo V, nisi quod epistulae 10 et 13 alio relegantur. atque cur epistula 10 inter opusculum de professione christiana et epistulam 22 in F inserta sit, candide me profiteor omnino ignorare; cur

epistulas 19 et 13 extra ipsam epistularum collectionem, quae a f. 211 initium capit (τοῦ αὐτοῦ ἐπιστολαὶ ὧν ἡ παροῦσα etc.), secundum Macrinae vitam collocatae sint, causas satis probabiles mihi rimatus esse videor. qui enim illum codicem composuit, voluit Macriniis epistulam qua Macrinae obitus narrabatur subiungere; epistulam vero 13 addidit, non quod cum Macrina ullo modo cohaereret sed ut quaternionem compleret, quod eius studium etiam alibi apperere iam supra (p. LV) monuimus, hic idcirco vel evidentius est quod, quo magis finis adpropinquat, eo magis increbescunt compendia, scriptura coartatur.

Atque etiam haec collectio Γ, si umquam fuit (sed eam fuisse mox sum demonstraturus), quas epistulas complexa sit, aliquatenus assequi posse mihi videor. cum enim P e Γ non pendeat, incredibile est vel F vel V illas epistulas suo de penore adiecisse quae eaedem in P occurrunt. quo argumento fretus epistulas 19. 20. 21. 23 syllogae Γ vindico. restant epistulae 22. 24. 25, quae uno F traditae sunt. sed quis talem schedulam conquireret qualis est epistula 22, quae sensu fere carebit, nisi quis quando ad quos episcopos data sit eruerit? epistulae vero 24 iam Byzantinos, opinor, pertaesum erat. cum autem F fideliorem se testem praestiterit, quod tres epistulas servarit quas V abiecit, in hoc illi discrimine fidem non recusamus. neque de epistula 5 uno V tradita secus iudicabimus. dubito contra num epistulae 29 et 30 in Γ infuerint, quamquam et in V et in F leguntur. neque enim illud quidem premo quod in V extra collectionem collocatae sunt: nam et istud pariter in epistulam 4 cadit, quae libris PF servatur, neque epistularum sylloge in V tam accurate definitur quam in F. sed in V illae epistulae ante libros contra Eunomium positae sunt, ubi easdem exhibent multa alia huius operis exempla, ut ZSB (cf. infra,

p. LXXIV). suspicor igitur illas ex tali refutationis Eunomii codice in librum V redundasse. de epistulis maioribus iudicium, quae nunc inter disputationes edi solent, in extremam horum prolegomenorum partem reservo.

Sed ad demonstrationem transeo quam iam dudum pollicitus sum. F et V multas lacunas unius vel duarum vocum communicant, ut omittunt p. 28, 9 ἡ; 28, 14 τὴν; 35, 26 ἤειμεν; 35, 27 αὐτῶν; 36, 22 τις; 58, 8 τῆς μορφῆς; 58, 14 καὶ; 58, 19 ὁ κόρος, item 61, 16 παρόντων verbis paullo aliter dispositis. sed etiam paucis maioribus lacunis hiant: ut 39, 22-40, 1 τίς ἐξ ἀμπέλου τοσαύτη χάρις ὅτε κομῶσα διὰ τοῦ ἀέρος καὶ τοῖς φύλλοις κατασκιάζει τὴν κάμακα, quae verba ex P verborum contextui induximus, nullus interpolator efficere potuit, praesertim cum sint corrupta; ita 61, 8-9 μήτε τοῖς ὤμοις τῶν ὀφρύων τὴν ἑτέραν ἐπισπασάμενος, quae in uno P exstant, genuina sunt, quamquam recte μηδὲ pro μήτε Vitellius, ἐπισπάσαιμεν pro ἐπισπασάμενος ego reposuimus. sescentis locis ambo hi libri vel recta vel prava contra P defendunt, quos supervacaneum est enumerare; nam ipsae lacunae ad id demonstrandum sufficiunt quod nobis propositum erat.

Atque videtur liber Γ litteris minusculis exaratus fuisse: nam p. 42, 11 quod V κρατῆρες pro βρωτῆρες legit, ad talem litteraturam redit in qua κ cum β, α cum ω facile confunduntur. nota tachygraphica iam in Γ pro ὡς adhibebatur: neque enim aliter explicatur quod 39, 9 ὡς recte PF legunt, καὶ perperam V. quamquam fatendum est perpaucas ex corruptelis vel libro V vel libro F peculiaribus ortas esse litteris vel apicibus male intellectis, plerasque e studio novandi, quod non mirabitur quicumque Eduardi Schwartz clarissimam illam praefationem ad Eusebii historiam ecclesiasticam legerit (p. CXLVI). cantica fortasse tragicorum a scribis stupide ita propagata sunt, ut litterae, non verba describerentur; iidem scripta patrum, quae vel intellegebant vel se intellegere existimabant, suo arbitrio correxerunt, mutarunt quo speciosiora, ut sibi videbantur, redderent. atque habent istae mutationes nullum periculum, quotiescumque epistula et in P et in FV tradita est, P vel cum F vel cum V consentit. nam quotiescumque alter liber cum P facit, inde et libri Γ et archetypi communis memoriam nullo negotio reciperamus (levissimum enim est quod semel p. 35, 7 P et F in corruptela minima δι' εὐκολίαν pro δι' εὐκολίας contra V consentiunt). tali comparatione instituta illud quoque lucrabimur, quod iam norimus utri libro plus dandum sit in illis epistulis quae in P non leguntur. selecta propono, ordinem verborum mutatum mitto. verba omisit V: p. 34, 12 τοῦ θεοῦ; 34, 14 ὁ ἀὴρ; 34, 16 τε; 39, 4 τὸν; 39, 12 δὲ; 61, 14 τό. synonyma variavit ut 36, 11 καταναγκάζεσθαι PF] προσαναγκάζεσθαι; 39, 14 σεμνοτέρους PF] φαιδροτέρους; 39, 18-19 τῶν ᾠδικῶν PF] μουσικῶν; 39, 20 γαληνιάζουσα PF] γαληνιῶσα; 59, 2 δυνατὸν εἶναι PF] δύναμιν; 60, 7 γράφειν PF] γράψαι. ista fortasse non tam gravia sunt, quamquam quis, nisi alii subsidio essent libri, non φαιδροτέρους, μουσικῶν, γαληνιῶσα sine ulla suspicione et legisset et imprimendum curasset? sed est ubi V ex libidine verborum contextum refingat, ut 36, 2 ἤδη τοῦ ἔνδοθεν (vel ἔνδον, quod non moror) ἐγενόμεθα περιστῴου legebatur in libris, quod Wilamowitzius sanavit τοῦ ante περιστῴου translato. cum praepositio desideraretur, a qua ille genetivus penderet, πλησίον pro ἤδη scripsit V. item 34, 12-13 ὡς γὰρ ἥλιος ἦν ἀνὰ τὸ χωρίον ὃ κατόπιν ἑαυτῶν κατελίπομεν corrupte legebatur in Γ, veram lectionem praebuit P, e qua verbis male divisis, recta scribendi ratione pessumdata, ὃ interpolato illa monstra nata sunt: ὡς γὰρ Κηλόσινα τὸ χωρίον κατόπιν ἑαυτῶν κατελίπομεν. nomen

vici deesse cum perspexisset V, ’Εαρσοῦ, quod qui legerent facile decipere posset, pro ἑαυτῶν refinxit. in dubio sum num item ad interpolationem referam 39, 12 παρασκευάσω voci παρασκευάσας substitutum: fieri enim potuit ut V post αὐτοσχέδιος periodum finiret, παρασκευάσω quamvis inepte ad Gregorium ipsum referri vellet. pariter uno oculo vigilabat, cum 61, 10 pro πολεμούντων πρ. ἡμ. maluit πολέμου τοῦ πρ. ἡμ. scribere. alibi V corruptelam in F, id est in Γ, inchoatam absolvit atque perfecit, ut p. 61, 5-6 καὶ εἰ μὴ συνεκδίδοται στεναγμός τις τῷ ἄσθματι servavit P, συνεχὴς διαδίδοται pro συνεκδίδοται interpolaverunt FV, id est Γ. τις in F omissum fortasse iam praeterierat Γ; V, cum frustra quaesivisset unde dativus penderet, σὺν ante τῷ ἄσθματι interpolavit.

F multo frugalior est: levius enim et quasi innocentius peccat, ut 28, 9 τῶν ἀνθρώπων manus certe prima omisit; 28, 21 οὐδὲ ἴσως verbis male separatis pro οὐδεὶς ὡς scripsit; 28, 28 particulae πρὸς particulam εἰς substituit. quod vero 29, 21 pro ἡμερινοῦ legit ἡμετέρου, id non ad interpolandi animum, sed ad errorem legendi referendum est. neque multo gravius est quod 35, 1 mulos masculos reddidit τοὺς ἡμιόνους, 36, 5 ἀλλήλοις pro ἀλλήλαις scripsit, quamquam hoc pronomen ad virginum chorum pertinet. sed talia congerere nullius fere usus est.

Cum haec ita essent, constitui ubi P defecerat (deficit autem in epistulis 8, 11-17), quotiescumque per sensum vel per consuetudinem scribendi liceret, potius F quam V sequi. neque me huius consilii paenituit. nam, ut a levioribus discrepantiis ordiar, p. 38, 14 τῶν παρόντων F illi τῶν περιόντων V praestat, nam superflua amicis donare minime est liberale. 41, 17-18 in illo ὅτι με διαλαβόντες μέσον ὑμεῖς et μέσον διαλαμβάνειν sollemne est et ὑμεῖς, quoniam sequitur σύ τε καὶ ὁ πατὴρ ὁ σός, requiritur; νυνὶ V pro μέσον ὑμεῖς debile est. paucis versibus infra (v. 21) οὕτως V suo loco (p. 42, 6) omissum falso in sedem quam in F ἐκ τοῦ Πόντου occupat inculcavit. p. 43, 15-16 in illo σφόδρα τῷ κρυμῷ καὶ τῇ πικρίᾳ τῶν ἐπιχωρίων ἠθῶν πεπονήκαμεν V, cum intellexisset κρυμῷ de moribus incolarum tropice dici, quod paullo infra pluribus explicatur, θυμῷ temere substituit. p. 45 oculorum acies eius qui librum V concinnavit verbo διηγήμασιν (v. 25) tam intenta fuit, ut in v. 18-19 τὴν διδασκαλίαν τῶν τοιούτων ἀνδρῶν pro ἀνδρῶν substitueret διηγημάτων, v. 23 pro διεξιόντος item διηγουμένου. pariter p. 46, 6 ἀλλά τινες, cum usum praegnantem illius τινες non perspexisset, ἀλλ’ ἀληθεῖς τινες interpolavit. p. 47, 8 φιλονεικίαν forsitan hominibus bonis litteris eruditis indignam esse censuerit, neque enim aliter explicatur quod τὸ ὅλον ἕκαστος ἔχειν φιλονεικοῦντες in contrarium vertit οὐ pro ἔχειν scripto. item p. 43, 18 V longae similitudinis impatiens οὕτω pro καὶ ἡ mutavit, quamquam apodosis versu demum 20 incipit τοιοῦτόν τι. multa alia praetereo.

Sed est ubi F interpolator sit manifestus, ut 41, 11-12 πεποίηταί τις παρὰ τῷ διδασκάλῳ τῆς ὑμετέρας παιδεύσεως πρεσβυτικῶς εὐφραινόμενος Gregorius scripserat, V servavit; pro τις F Λαέρτης scripsit, sed Gregorius, qua comitate fuit, in epistulis ad scholasticum datis Odysseae personas nominare noluit, sed una vocula innuit, ut facere solemus quotiescumque cum doctis loquimur. iam sequitur in V μετὰ τὴν χρονίαν αὐτοῦ (vel αὑτοῦ, quod hac aetate non moramur) κακοπάθειαν. illud ἐκείνην quod pro αὐτοῦ F praebet, ex eodem studio enatum est ostendendi quam penitus qui scripsit Odysseam norit quantique eam fecerit („diuturnas illas aerumnas“), quod a Gregorii proposito maxime alienum est, qui talia, praesertim cum ad scholasticum scribat, tangit, non premit. atque pariter eiusdem paginae v. 6-7 πρὸς οὐκ εἰδότας τοιαῦτα γράφειν V humanius est quam πρὸς οὐκ

εἰδότα F: reprehensiones enim urbani in universum proferre solemus, etiamsi illas ad certum hominem referri volumus. eiusdem paginae v. 9 perfectum γέγονεν V aptius est aoristo ἐγένετο; item 38, 6 πρὸς ἑαυτὸν V de secunda persona reflexive enuntiatum consuetudinem temporum plus sapit quam πρὸς σεαυτὸν V. 56, 21 facilius et ἱστουργικὴν F ex ἱστουργεῖν V enasci potuit, cum χαλκευτικῇ — ὑφαντικὴν praecederent, quam versa vice, et ἱστουργεῖν V orationem eleganter variat; sed sunt haec minutiae. p. 43, 23-24 post τῷ προκατειργασμένῳ ἕτερον κακὸν ἐπιπήγνυται, κἀκείνῳ ἄλλο legebatur in Γ καὶ πάλιν ἕτερον καὶ τοῦτο συνεχῶς ὑπαντᾷ, recte nisi quod τοῦτο falso pro τούτῳ scribebatur. quod cum F minus intellexisset, ex elegantiore ὑπαντᾷ tritum illud γίνεται effecit. atque 47, 11 ἐναπομαξαμένων vox philosophis Platonicis consueta multo plus Gregorium decet quam pallidum illud ἐναπογραφομένων F. item 47, 18 ἐκκαλεσώμεθα V exquisitius videtur quam ἐκκαλέσωμεν, quamquam utroque genere Attici usi erant. pariter 47, 13 τῶν πολυχρύσων V cum praecedentibus multo melius concinit quam τῶν φιλοχρύσων: Gregorius enim 46, 23 profitetur se aurum possidere, non iam cupere. quid plura? etiam nescio an 47, 16, ubi cum F ἀπόνασθαι scripsi, perspicuum illud quidem et planum, illi ἀπόκροτον V genuini aliquid subsit; nam qui vox tam rara casu aut interpolatione nasci potuit? quam mihi animo lectionem refinxi, in apparatu proposui. atque meo iure in locis corruptis 45, 21 et 46, 4 V non neglexisse mihi videor; quamquam singulare est, fateor, V se meliorem praestare ubi iam P nobis praesto non est, multo vero meliorem in duabus epistulis, 11 et 13, quasi novus improviso fons aperiatur.

Utcumque ista se habent, in aperto iam est nos haesitare et titubare, simul atque nos P defecerit; quid enim scriptum sit in illo libro Γ, iam certo diiudicari

non potest, cum duo tantum apographa supersint eaque saepe inter se dissentiant. accedit quod ipse Γ hic illic corruptus erat, ut in multis epistulis comparatione cum P instituta elucet. in illis igitur paginis quae tantum in V et F traditae sunt crebrescunt et dubitationes et cruces; in illis vero epistulis quae uno F servantur, ut epistulae 20 pars maior, epistulae 22, 24, 25 totae, verisimile est corruptelas quam plurimas nos ne suspicari quidem. id nemo mirabitur quin ignoret operum uni libro mandatorum fidem esse prorsus nullam.

Sed iam ad P revertamur. cuius auctoritas ea de causa augetur, quod unus epistulas 26-28, quae usque adhuc concisae et mutilae inter Basilii et Libanii mutuas circumferebantur, nuper nominibus veris, forma integra nobis reddidit. nam si quis adfirmet Basilio, Patrum ecclesiasticorum in Graecia quidem et Oriente clarissimo, et Libanio, sophistarum uni nobilissimo, has epistulas subreptas esse, quibus Nyssenus, qui multo minus nobilis erat, et Stagirius, qui prorsus erat ignotus, donarentur, manifesto insanit. qua vero de causa p. 84, 8 Osienorum obscuri Cappadociae vici mentionem interpolator intulisset? qua de causa Euagrium 86, 20 pariter ignotum memoriae traditae inculcasset? qua de causa epistulam 28 paene dimidiam finxisset? ut sibi scilicet ipse difficultates pararet. neque nobis facile falsarium repraesentare possumus qui tam apte iter Palaestinense et Arabicum hic (86, 17) inseruerit, quod ab epistulis 2 et 3 comperisset. at contra studium breviandi observamus evidentissimum, ut loca personas tempora certa, ex quibus difficultates sibi cooriri possint, omnino vitet. sed genuinitatem post Maasium, cuius dissertationes in testimoniis ad p. 83, 15 indicavi, peculiari disputatione ipse defendi [Berliner Philologische Wochenschrift 1914, 1516 sqq.], quam nuper paucis mutatis repetivi in appendice libelli mei de his epistulis

[Studi Italiani di Filologia Classica N.S. III 1924, 129 sqq.], ad istamque qui legunt delego.

P epistulas quae ei cum Γ sunt communes prorsus alio ordine exhibet. at nescio an interfuerit inter hos duos libros adfinitatis aliquod vinculum; nam epistula Nazianzeni 238 ut in P ita in V inter Nysseni legitur (quamquam in V extra syllogem collocata est quae proprie dicitur, id quod leve est: cf. supra p. LVII). eodem fortasse spectat quod epistulae 11-17, quas in Γ coniunctas esse supra (p. LVI) demonstrasse nobis certe videmur, in P omnes omittuntur. scio hanc conclusionem prima facie prorsus absurdam videri. sed cum P ab exemplo mutilo se descriptum esse profiteatur, coniectari potest eam exempli partem periisse, in quo eae epistulae congregatae essent. hoc tamen, ut par est, non spoponderim; illud teneo, Nazianzeni epistulam iam in archetypum librorum Γ et P communem irrepsisse.

Nam archetypus communis fuit; p. enim 30, 3 oratio hiat deperdito infinito ab ἔδει pendente; item 29, 26 ἡμῶν ex praecedenti versu falso repetitum est; 36, 2 nonnulla verba inter se sedem mutarunt; 58, 17 γινομένων in archetypo legebatur, ubi πινομένων evidentissime restituit Jaeger. atque haec quidem in epistulis quae omnes in PFV traditae sunt. sed nullius fere momenti est utrum Γ ambobus libris FV an uno F repraesentetur, dummodo P supersit. atque si iam ad epistulas transimus quae in PF servantur, p. 63, 16 lacuna hiat quam ut explerem, mihi non contigit; altera eademque minor p. 67, 7. participium verbi transitivi, unde οὐδεμίαν ἀφορμὴν pendeat, 63, 14 desideratur, ipse ἔχων conieci. 66, 24 δεξάμενος non quadrare, δεξόμενος requiri conspexit Diekampius. 67, 11 βαθεῖς prorsus sensu caret, ἀμαθεῖς, quod substitui, certissimum videtur. minora praetereo, quae fieri potuerit ut in utroque libro fortuito depravarentur, item incertiora.

Atque litteris uncialibus ille archetypus exaratus erat, neque enim aliter singularis discrepantia explicatur, quae p. 29, 7 occurrit: ἐκεῖ P, σκιᾶ FV, id est Γ: ε scilicet cum σ confusum corruptelae ansam praebuit. item p. 69, 21 παρατείνεται recte F, id est Γ legit; παραγίνεται falso P, qui error forsitan e scriptura unciali ortus sit. sed fatendum est plerasque discrepantias ut inter F et V ita inter Γ et P non litteris male intellectis sed scribarum libidine mutandi exstitisse: ut quod p. 40, 21 τιμιότητα in FV, τελειότητα in P legitur, potius ad mentem eius qui scripsit quam ad litteraturam uncialem redire videtur. similiter enim alibi tituli variantur, ut 74, 3 εὐγένειαν scripserat Gregorius, σεμνοπρέπειαν nulla necessitate mutavit falsarius qui epistulam Basilio tribuit. verba in archetypo non separabantur, itacismi inerant, ut discrepantia illa declarat quam supra (p. LIX) tetigi, 34, 12 Κηλόσινα τὸ P: ἥλιος ἦν ἀνὰ τὸ Γ.

Atque nescio an lectiones variae margini adscriptae fuerint; quod unus locus, ille quidem gravissimus, suadere videtur. nam p. 59, 12 sqq. in omnibus libris (PFV enim servantur) legitur προσδοκῶμεν τῇ τῶν ἁγίων εὐχῶν σου ἰατρείᾳ τὰς ἐλπίδας ἑαυτῶν ἐπερείδοντες ὅτι . . . τὸ τοιοῦτον τῆς ψυχῆς ἡμῶν πάθος ἐξιαθήσεται, sed post extrema verba P praebet ὀκλάζουσαν ἤδη τὴν ψυχὴν ἡμῶν ὑπὸ τῆς τῶν κακῶν συνεχείας ὑπερειδόυσ . . . sequitur iam apex forma recti anguli sinistrorsum versi, quem nemo usque adhuc scripturae Graecorum peritus explicavit, forsitan non intellexerit ipse scriba. quod hoc quoque nomine verisimile videtur, quod accentus nusquam in P priori diphthongi vocali superscribitur nisi hic: veteres igitur notas depinxit, cum iam non perspiceret quid significarent. sed, utcumque extremum verbum intellegis, alteram recensionem illius sententiae τὰς ἐλπίδας ἑαυτῶν ἐπερείδοντες tenemus eamque multo

pleniorem, multo evidentiorem, nam et animus multo melius fulcitur quam spes et ἡ τῶν κακῶν συνέχεια optime in Gregorii condicionem quadrat. accedit quod vox vere Gregoriana, quae est ὀκλάζειν, interpolatori in mentem non facile venire potuit. lectionem igitur veriorem hoc loco P in textum recepit; unde nisi e margine? similiter p. 68, 4-5 F sententiam τὸν γὰρ — ἐν εὐκολίᾳ φέρειν omittit, extremis verbis illius sententiae quae antecedit ἐπὶ τοῦ παρόντος παραιτουμένοις planiora eademque breviora substituit νῦν ἀναβαλλομένοις. quae P exhibet, in margine archetypi scripta erant. atque pariter e margine provenisse suspicor illa lacunarum maiorum in Γ obviarum supplementa (p. 39, 22-40, 1; 61, 8-9) quae paullo superius (p. LVIII) disceptavimus. interpolationis vero crimen eo facilius P effugiet, quod haec supplementa ipse explicare non potuit, ea enim leviter corrupta praebet, id est parum intellecta. quod contra in p. 62 bis aliquot versus (11-13 καὶ ἡ —φίλον; 22-25 ἀλλ' ὁ — κατὰ) F transiluit, qui ex P nunc demum innotuerunt, e studio comprehensiones verborum implicatas et tardas extricandi, membra abundantia circumcidendi, quae contra tali scribendi generi apta sunt, facilius explicatur.

Librum tam spectatae probitatis atque paene integritatis, quotiescumque potui, libro Γ protuli, sive iste codicibus FV sive uno F repraesentabatur. sed ut lacunas mittam sive unius voculae (36, 1 καὶ; 37, 4 τὴν; 37, 10 μεθ'; 58, 19 σου; 59, 10 τοῖς; 65, 19 καὶ; multas alias) sive paullo maiores (ut 67, 2-3 προσπτώσεις φυλακαὶ in enumeratione praeteriit, item 63, 16 νομίζων et 67, 14 οὕτως ἐξήσκηνται, quae prorsus necessaria sunt) — talia enim non magnopere premo, cum nullus sit liber in quo non occurrant —, ut item vitia neglegam leviora, quae abundant, ut mendum praeteream memorabile p. 34, 24-35, 1 ubi τὴν μέχρις Οὐεστηνῆς ὁδὸν in Γ lege-

batur (eamdem lectionem leviter obscurat F), Οὐγκανῶν scripsit P, qui sequenti pronomine singulari ἐν ᾗ mendacii convincitur; ut haec omnia sileam, hic illic P, si non interpolatoris partes gerit, at tamen traditam memoriam libidine refingit, ut interpolatori quidem proxime accedat. 59, 8 ὢν οὗτος P pro τοιοῦτος ὢν FV falsum est, nam οἷος εἶ sequitur; sed leve illud quidem. neque id premo, quod 63, 11-12 pro voce recondita et exquisita φιλάγαθον vulgare illud φιλάνθρωπον scribit. gravius quod 59, 19-60, 8 comprehensionem verborum satis perplexam, quam ipse interpretatus sum [Studi italiani di filologia classica, N.S. III 78, adn. 1], quo facilius decurreret, mutavit. cum enim Gregorius scripsisset ὅταν ... ἐνθυμηθῶμεν ὅτι ... ἃ μὲν καταλιπεῖν ἐβιάσθημεν τέκνα ἐστὶν ἃ ταῖς πνευματικαῖς ἡμῶν ὠδῖσι τῷ θεῷ γεννῆσαι κατηξιώθημεν, σύμβιος νόμῳ συνηρμοσμένη ..., alia multa enumeravisset, tum adiunxisset ἃ ὥς ἐστι γλυκέα ..., οὐδὲν δεήσομαι ... γράφειν, deinde, structura mutata, quasi propositio primaria antecessisset, τὰ δὲ ἀντὶ ἐκείνων ... ὡς ἄλλως ἔχει σκόπησον; P, cum δὲ desideraret quod illi μὲν (ἃ μὲν) responderet, illam particulam in locum articuli ταῖς (ταῖς πνευματικαῖς) intrusit. voluit igitur interpungi et intellegi: „cum consideramus illa quae deserere coacti sumus, liberos esse; quae vero in deo genuimus, coniugem (vel vitae sodalem)", prorsus inepte scilicet: τέκνα enim ad πνευματικὰς ὠδῖνας pertinet, sequentia, in quibus ἑστία τράπεζα similia enumerantur, quo iure in deo generata esse dicas? ἃ vero ante ὡς praeteriit, quod consulto factum esse credo, ut coniungeretur: „quae vero in deo genuimus (haec autem enumerantur), quam dulcia sint, minime opus erit tibi scribere". optime fluit periodus, sensus periit. hoc studium iuncturarum laxandarum cum iam pateret, malui p. 63, 16 cum F δι' ὃ quam cum P διὰ τοῦτο scribere. quamquam non ignorabam fore ut

audacius videretur secundum lacunam a melioris testis fide discedere. sed quam sententiam illa lacuna hauserit, mihi videbar certo restituisse, ipsis verbis, ut consentaneum erat, neglectis. item 65, 8-9 τὴν διὰ τῶν λόγων γραφὴν F illi τ. διὰ τοῦ λόγου γρ. P praetuli, cum Gregorii consuetudini scribendi melius responderet.

DE MEMORIA EPISTULAE XXI BASILIANA

Haec fere habui quae de syllogis epistularum minorum dissererem, sed ad aliquas recensendas exstant alia subsidia: ut epistulam 21, quam pluribus alibi disceptavi [Studi italiani N. S. III p. 99 sqq.], falsarius ad viduam datam esse mentitus Basilii epistulis inseruit, neque curavit quam sanctum episcopum non deceret monachum (cuius nomen Διονύσιον τόν ποτε Διομήδην ita finxit ut non longe ab illo Βασίλειον τόν ποτε Διογένην discederet) ad viduam mittere, quam in monasterium comitaretur. peropportune vero accidit ut haec epistula et in P et in F (qui nobis Γ oculis repraesentat) legatur. nam tertium testem nacti illumque maximae auctoritatis (epistularum enim Basilii codices servati sunt et plurimi et antiquissimi) diiudicare iam possumus quot quantae corruptelae in archetypo librorum P et Γ communi haeserint. neque scrupuli iniciuntur, quod Basilii epistularum editio totis numeris perfecta atque absoluta adhuc desideratur: nam Garneri exemplum, quod a Migneo expressum est, satis esse accuratum inter omnes constat. hac lege et comparationem institui et verborum contextum constitui, ut codicum Basilianorum lectiones (β) Gregorio non intruderem, nisi prorsus esset necesse; nam consentaneum est falsarium multo effrenatius memoriam genuinam refinxisse, synonyma substituisse, quam solent probae recensiones PΓ. atqui nescio an nimium Gregorio e β frustra reluctantibus PF inculcarim.

Falsarius, ut interpolationes protervas omittam (velut p. 73, 11; 73, 13-74, 1), ex animi libidine variare videtur sequentibus locis: 73, 7 τοῦ μύρου ἐκείνου εὐωδίᾳ pro τοῦ μύρου τῇ εὐωδίᾳ; 73, 8 ἐκείνην pro ταύτην; 73, 10-11 ἄρχομαι τοῦ γράμματος pro προοιμιάζομαι; 74, 1-2 ἐπήξατο ὁ προειρημένος pro ὁ προειρημένος ἐπήξατο; 74, 3 σεμνοπρέπειαν pro εὐγένειαν; quae lectiones si in Gregorii codice occurrerent, illas accurate disceptaremus; cum vero in apocrypho tradantur, subter paginam relegare non dubitavimus. p. 73, 7-8 autem τὴν αὐτόνομον ταύτην (vel ἐκείνην, quod nunc non moror) ἀγέλην κτῆμα ποιεῖται τῷ κεκτημένῳ τὴν τιθασόν pro τ. αὐ. τ. ἀ. τιθασὸν ποιεῖται τῷ προεμένῳ PF non toleraremus, etiamsi in libris Gregorianis traderetur. nam et illud τὴν ante τιθασὸν contra sermonis leges peccat — cicur enim tum demum columbarum turma dicitur, cum ab uncta comite allicitur, non antea —, et τῷ κεκτημένῳ multo minus aptum est quam τῷ προεμένῳ, acumen enim in eo positum est, quod qui columbam unctam demittit, demittendo columbarum agmen cicur reddit, non retinendo. at qui κτῆμα interpolavit, figuram etymologicam quoque modo quaesivit. ἐὰν cum optativo consociatum β p. 74, 2 est mendum grammaticum, quamquam hoc sane loco de lectione Basilii codicum par est dubitare. 73, 6 ὑποχρίσαντες PF accuratius et quaesitius est quam χρίσαντες; accedit quod saepissime in transscribendo verba simplicia compositis substitui solent. 73, 4 τῆς ante μιᾶς elegantius cum PF additur quam omittitur.

Contra 73, 5 χειροήθη τε ταύτην καὶ ὁμόσιτον ἑαυτοῖς ἀπεργάσωνται β multo exquisitius est quam χειροήθη ταύτην καὶ ὁμόσιτον ἀπεργάσωνται PF. nam et καὶ praecedebat et voluit qui scripsit χειροήθη et ὁμόσιτον artiore vinculo inter se iungi quam cum sententia antecedenti; cum vero nullus esset in memoria codicum cum omnium tum potissimum Gregorianorum crebrior error quam

verba omissa, ἑαυτοῖς e β adiciendum erat, etiamsi abundare videretur. at est necessarium: nam ὁμόσιτον de columbis una pascentibus intellegi debuit [1]). atque eadem de causa, quod voces in describendo potius praetereuntur quam adiciuntur, 73, 12 cum β contra Gregorii libros αὐτοῦ scripsi, quamquam fateor hic certe illud omitti potuisse; item p. 73, 10 τί δὲ βουλόμενος; 74, 2-4 ἴδοιμι ... καὶ τὴν σὴν εὐγένειαν ... μεταθεμένην. hi tamen loci aliter comparati sunt, nam eas particulas nisi legeremus, non dubito quin requireremus: 73, 10-11 enim qui scripsit, se ad propositum revocat (cf. p. 41, 10-11); 74, 2-4 Ablabium quoque, ut ante eum innumerabiles alios, ad vitam monasticam transgredi cupit. 74, 4 utrum cum β μεταθεμένην an cum PF μετατεθεῖσαν legendum sit, ipse iam ambigo. gravius est quod extrema comprehensio corrupta est; quamquam non dubito quin γένοιτο καὶ genuinum Gregorii sit, non in PF interpolatum; nam ἐὰν (vel potius εἰ) οὖν ταῦτα ἴδοιμι ... καὶ τὴν σὴν σεμνοπρέπειαν πρὸς τὸν ὑψηλότερον βίον μεταθεμένην, ut legitur in β, inconcinnum atque adeo absurdum est. quid enim ταῦτα significat nisi καὶ τὴν σὴν σεμνοπρέπειαν ... μεταθεμένην, quod nescio quomodo non subiungatur sed quasi aliud quid adiungatur? sed restant scrupuli: nam, quod β praebet πολλῶν προσώπων ἀξίων τοῦ θεοῦ δεηθήσομαι τὴν κεχρεωστημένην τιμὴν ἀποπληρῶσαι αὐτῷ, neque apte cum futuro protasis εἰ ἴδοιμι coniungitur et ipsa sententia perplexa est. τὴν χρεωστουμένην παρ' ἐμοῦ τῷ θεῷ εὐχαριστίαν ἀποπληρώσαιμι adversus grammaticam ipsum peccat; sin autem cum Jaegero ἂν post εὐχαριστίαν restituimus, incolumi grammatica sententia hebescit („gratiam referre possim"), idque in clausula cui hac aetate acumina ple-

[1]) τιθασεύουσι χειροήθεις αὐτοῖς ποιοῦντες legerat Gregorius apud Demosthenem III 31.

rumque adhibentur. malui <πῶς ἂν> τὴν ... εὐχαριστίαν ἀποπληρώσαιμι; temptare, cum iam appareret archetypum codicum Gregorii nulli crimini magis obnoxium fuisse quam lacunulis.

β semel libro P contra F suffragatur: 73, 5 ὁμόσιτον Pβ, ὁμότιμον F; semel libro F contra P: 73, 3 ὅταν Fβ: ὅτε P. 73, 9 εὐπνοούσας — εὐπνούσας non curamus.

DE MEMORIA EPISTULARUM XXVI-XXVIII LIBANIANA

Paulo Maas harum epistularum formam et figuram genuinam primum edituro cum iusta Libanii editio nondum praesto esset, necesse fuit e libris manuscriptis lectiones ipsum conquirere quas cum P compararet. ego contra Foersteri exemplo Teubneriano uti potui [Libanii opera rec. Richardus Foerster, vol. XI, p. 582. 587. 588], cuius tamen fructus ea de causa minor fuit, quod, cum prolegomena nondum in lucem emissa essent, ignorabamus quanti quemque librum quibusque argumentis confisus editor fecisset. atque tam accurate Maasius munere suo functus est, ut non multa Foerstero corrigenda augenda relinqueret. ipse quae Maas sigla introduxerat, plerumque servavi, ut Λ consensum codicum Libanii significaret, Λ^{var} lectionem aliquot codicum quos enumerare nihil adtineret. singulos tamen libros non distinxi praeter unum (Λ^{R}) Vaticanum Reginensem 18 saeculi XI, singularis illum quidem virtutis, nisi uno loco Monacensem 497 saeculi XI (Λ^{Mon}) et Baroccianum 121 saeculi XI (Λ^{Bar}) in subsidium vocavi. idem Maasius eam mihi normam praeivit ut in verbis constituendis a P non discederem nisi omnino necesse esset, ne falsarii arbitrio memoriam traditam permitteremus eamdemque prorsus perderemus. recensionis tamen negotium multo facilius erat quam in epistula 21: qui enim epistulis mutuis Basilii et Libanii Gregorianas intrusit, non multa interpolavit (ut 84, 2-3 οὐ χρήζων ἀλλά), sed plura variavit,

plerumque, quantulo fuit ingenio, sana amputavit et mutilavit, ne certae res loca personae fraudem detegerent, vel fortasse ne nimium operae in scribendo ipse consumeret.

Atque paucis locis Λ voculas servavit quae in P exciderunt: 83, 18 καὶ; 84, 13 τὴν; 84, 17 τὸ ante τελωνεῖν; 85, 8 σοὶ; bis tantum longiores sententias: 85, 9-10 τοῖς ἐν Θερμοπύλαις ἀγωνιζομένοις στρατιώταις; 86, 1 ἢ τάχα που καὶ σπουδάζοντος. hoc extremo loco scribae P oculus verbis similiter cadentibus deceptus est. item 84, 14 Λ pro falso νῦν verum σου tradidit; 86, 5 pro falso ἐπισυναγόμενον verum ἐπεισαγόμενον; 86, 8 pro falso τῇ εὐγλωττίᾳ verum τῆς εὐγλωττίας. multo plura Foersterus, quamquam formam Libanianam genuinam, Gregorianam interpolatam esse sibi persuaserat, contra legem quam ipse sibi dederat e P in contextum recepit. iam confirmatur quod supra e comparatione epistulae 21 cum Basilio effecimus, cum aechetypum tum P nulla graviore macula foedari quam lacunulis.

Unus ex Libanii libris, Λ^{R}, medium quemdam locum tenet inter P et reliquos. in illo enim uno semel verba leguntur prorsus necessaria quae in Libanii memoria evanuerunt, 85, 11-12 μοι σώους; illo uno semel sententia sana praebetur quae in memoria Libaniana turpiter corrupta est 86, 1 sqq. καθάπερ ἐρωτικά τινα κνίσματα τοῖς ἐρασταῖς τοῦ ἄνθους ἡ φύσις τὰς λεπτὰς ἐκείνας ἀκάνθας προσέφυσεν PΛ^{R}: κ. ἐρ. τ. κν. τ. ἐ. τὰς λεπτὰς ἐκείνας ἀκάνθας ἡ φύσις τῷ ἄνθει πρ. reliqui, ubi dativus non intellegitur. inde concluditur ceteros Libanii codices ab uno exemplo manasse; neque obstat quod 85, 12 Λ^{R} cum P peccare videtur, duo Libanii codices rectam, si Wilamowitzio credimus, lectionem δεῖνα per compendium expressam servaverunt. utcumque enim de eo loco iudicas, tibi facile repraesentare potes δ' et in Gregorii editione prototypo et in archetypo reliquorum

codicum communi scriptum esse, cui singulos scribas quodcumque iis in mentem venerat nomen ex libidine substituisse; Λ^{R} vero sive in idem Δῖος (Διὸς scribit) fortuito incidisse in quod P, sive illud nomen ex alio Gregorii libro recepisse. nam quam saepe aetate Byzantina libri inter se collati sint, Eusebii historiae ecclesiasticae memoria, etiam memoria epistulae Gregorii secundae satis superque declarant. sed fatendum est Wilamowitzii coniecturam ut elegantissimam, quippe qua tanta lectionis varietas facillime explicetur, ita minime certam esse; in lubrico autem niti incauti est.

DE MEMORIA EPISTULARUM XXIX-XXX IN ANTIRRHETICI CODICIBUS

Has epistulas exspectabam Jaegerum editurum esse: plerumque enim in codicibus manuscriptis libros contra Eunomium antecedunt, quibuscum pro certo habeo eas inde ab origine conexas esse. iam si in illos duos epistularum libros quibus continentur, F et V dico, a communi exemplari Γ redundassent, consentaneum iam esset illos et in lacunis et in lectionibus conspirare. at contra, si exempla operis contra Eunomium in duas familias discernimus, alter alteram sequitur. accedit quod V illas non in epistularum sylloga, sed eodem loco exhibet ubi reliqui praeter F, ante libros in Eunomium: unde efficitur F ab exemplo Antirrhetici eas descripsisse, quo studio fuit Gregorii collectionis augendae, ut complures disputantiunculas certo homini dedicatas inter epistulas collocaret, quae plerumque inter tractatus leguntur (p. LIV).

Sed iam ad codices librorum contra Eunomium enumerandos nos convertamus, quibus eae epistulae contineantur; quos mihi roganti indicavit Jaeger. idem liberalissime lectiones a se enotatas suppeditavit. sunt vero hi: L(aurentianus) Mediceus plut. VI nr. 17 sae-

culi XI sive X exeuntis, membranaceus; ipse contuli.

Lesbicus Mytilenensis (B) 6 saeculi XI-XII, membranaceus. epistulam 30 Petri ad Gregorium fratrem praebent tabellae photographicae Jaegeri in usum a Carolo Jantsch confectae (lectiones mecum communicavit Jaeger). epistulam contra 29 recensuit is qui catalogum composuit, Maurogordatas (p. 147), Jantschius depingere supersedit.

P(atmensis) 46, saeculi X-XI, membranaceus, quem qui anno 1912 inspexit et descripsit, Paulus Maas, adnotavit f. 75 epistulam 29 ad Petrum exhiberi, de epistula Petri tacuit. sed ambas exhibet liber Patmensi simillimus, Vaticanus 1773 (Z), saeculi XVI, chartaceus; quem, cum mihi non contigisset ut Patmensis lectiones nanciscerer, in eius locum invitus substitui. ipse eum contuli.

Vaticanus 1907 (S) saeculi XIII, chartaceus, qui omnia Nysseni opera continet. lectiones a Jaegero enotatas rursus ipse cum codice contuli neque sine fructu, nam plurimis compendiis scriptus est; accedit quod a restauratore omnia folia charta perlucida obducta sunt. de S Burneianum Musei Britannici 52 saeculi XIII-XIV derivatum esse cum adfirmasset Jaeger (p. XXXIX), eum neglexi.

BV maxime inter se cohaerere, quasi ab uno exemplari pendeant, iam animadvertit Jaeger (p. XXXIII), qui librum V siglo T designat, idem apparatu ad epistulam 30 confirmatur: nam et titulum pariter conformant, et in pravis consentiunt, ut 89, 23 δόγμασι pro δούλοις, 90, 12 φράξασθαι pro φρυάξασθαι. atque non multo longius a B abest L: errorem enim ridiculum, qui tamen editiones obtinet, 91, 4 μυστικωτέροις pro ἀμυκτικωτέροις LBV communicant. in epistula 29, ubi B non novimus, LV et verba pariter disponunt 88, 8, et rectam lectionem 88, 23 πάντῃ adversus παντὶ tutantur, et, quod multo gravius est, extremam valedictionem 89, 13-14 omittunt. libro F contra cum L non multum commune inest: nam prosodica (87, 4) et orthographica (87, 5) ad librorum cognationem definiendam nihil valent; et quod 90, 6 ἐν utrobique omittitur, fortuito factum esse potest. cum V, ut diximus (p. LXXIII), vel minus: semel enim 90, 21 in recto defendendo FBV τὴν κεφαλὴν contra τῇ κεφαλῇ LZS consentiunt. F vero cum S saepius in veris, semel in pravis 88, 5 μὲν pro μόνον conspirat; Z cum S et in verbis disponendis 88, 8 et in titulo epistulae 30 conformando.

DE EPISTULAE V MEMORIA PECULIARI

De epistula 5 desperandum erat, dum eius salus uno libro V continebatur, quem, quotiescumque cum F vel cum FP comparare licuit, lacunulis et erroribus laborare apparuit cum non gravibus tum non ita facilibus ad detegendum. lux et incolumitatis spes illi epistulae adfulsit, simul atque alterum exemplum necopinato invenimus, quod ad id tempus nos fugerat, cum illa epistula in eo falso ad Flavianum episcopum inscripta esset. in illud tum demum incidimus, cum folium huius editionis quo epistula V continetur, typis expressum erat. sed, cum non licere nobis videretur scriptorem quem non speraremus post nostram operam fore ut brevi denuo excuderetur, minus emendatum proponere quam poteramus, in appendice illam epistulam iterum imprimi iussimus, Gregorii studiosiores quam sumptus parciores.

Barberinianus 291, quem siglo N designavi, est codiculus (cm. 13 × 10) chartaceus ineunte saeculo XV vel potius exeunte XIV in foliis 296 ab una manu neque eleganti neque constanti exaratus, ut docti scribere solemus; scribam enim theologia doctum prodit studium rarissima quaeque excerpendi et colligendi. folium primum abscissum est; f. 3v ἐκ τῶν κανονικῶν ἀποκρι-

σεων τοῦ ἁγίου Τιμοθέου; f. 4 τοῦ μεγάλου Ἀθανασίου πρὸς Ἀββᾶν μονάζοντα. tum spatio interiecto disputatio subiungitur de processione Sancti Spiritus inscripta ὅτι οὐκ ἔστι μαθητὴς τοῦ Χριστοῦ οὔτε πρόβατον αὐτοῦ, ὅτι ὡς κατακεκριμένος καὶ ἀπειθὴς οὐκ ὄψεται τὴν ζωὴν ὁ μὴ ἐμμένων τῇ διδασκαλίᾳ αὐτοῦ καὶ ταύτην παντελῶς φυλάττων ἀπαραίτητον; incipit ἐὰν ὑμεῖς μένητε ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ; plurimae sententiae e Patribus excerptae inseruntur. iam secuntur excerpta ex Nysseno: (f. 31) Εἰς τὰς μαρτυρίας τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Νύσσης, ἃς περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος εἴρηκεν (inc. ἤρκει μὲν οὖν τὸ διατετρανωμένον ὑπ' αὐτοῦ προηγουμένως); (f. 31ᵛ) τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Νύσσης ἐν τῷ πρὸς Ἀβλάβιον λόγῳ (inc. τὸ ἀπαράλλακτον τῆς φύσεως); (f. 34) ἐκ τοῦ εἰς τὸν πρωτομάρτυρα Στέφανον ἐγκωμίου (inc. Στέφανος δὲ πλήρης Πνεύματος ἁγίου). deinde excerpta quaedam perbrevia ex opere contra Eunomium, quae Jaegerum fefellerunt, neque tamen arbitror inde quam ille in lucem dedit editionem ullum detrimentum cepisse (inc. τῷ γὰρ Πατρὶ κατὰ τὸ ἄκτιστον; des. τοῦ Υἱοῦ πεφηνέναι); (f. 34ᵛ) Ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου (inc. πῶς ἔσται δυνατὸν ὅπερ ἐπὶ τῶν κάτω; des. ἢ τοῦ Υἱοῦ ἀποτέμνεσθαι).

Subiungitur excerptum ex Theognosia (inc. Πνεῦμα δὲ τὸ τῆς κτἑ; expl. προσοῦσαν πιστώσηται); deinde (f. 35) τοῦ αὐτοῦ ἁγίου Γρηγορίου ἐν τῷ πρὸς τὸν Πέτρον τὸν ἴδιον ἀδελφὸν περὶ θείας οὐσίας καὶ ὑποστάσεως λόγῳ (inc. πᾶν ὅπερ ἂν εἰς ἡμᾶς ἐκ θείας δυνάμεως; expl. καὶ αὐτὸς ἰδιαζόντως ἐπιγινώσκεται); deinceps (f. 35ᵛ) τοῦ αὐτοῦ ἐν οὕτω ἐπιγεγραμμένῳ λόγῳ ἐκλογὴ μαρτυρίων πρὸς Ἰουδαίους ἀπὸ τῆς παλαιᾶς μετά τινος ἐπεξεργασίας περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος (inc. ὅτι λόγον καὶ πνεῦμα ὁ θεὸς ἔχει κατὰ τὰς γραφάς; des. καὶ Πνεῦμα ὡσαύτως). iam sequitur (f. 36) λέγει Δαυὶδ καὶ ἐν β' καὶ λ' ψαλμῷ (des. εἶπε κατὰ τὴν συντήρησιν). tum rursus excerpta ex Antirrhetico secuntur: τοῦ αὐτοῦ ἐν τῷ α' τῶν κατ' Εὐνομίου ἀντιρρητικῶν (inc. ἡ γὰρ ἐπιθεωρουμένη ἑκάστῃ; des. τοῦ Υἱοῦ πεφηνέναι); (f. 36ᵛ) τοῦ αὐτοῦ ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ (inc. εἰ οὖν ἐν τῇ ἀκτίστῳ φύσει νοεῖται; expl. Πατρὸς ἀποτέμνεται). subiunguntur excerpta e Gregorio Nazianzeno, Iohanne Chrysostomo, Cyrillo, aliis patribus; hoc florilegium usque ad f. 74ᵛ pertinet. id excipiunt Νικολάου ἐπισκόπου Μεθώνης συλλογισμοὶ περὶ τοῦ παναγίου Πνεύματος; tum (f. 90ᵛ) Οὔγωνος ἀντιρρητικά. folia 93ᵛ-103ᵛ occupat aliud florilegium περὶ τοῦ ὅτι δεῖ ἀπέχεσθαι τῆς τῶν αἱρετικῶν κοινωνίας; folium 103ᵛ vacuum est. f. 104 legitur ἔφη πρὸς τὸν Κλήμεντα ὁ μέγας Πέτρος κτἑ. f. 104ᵛ tertium vel quartum florilegium (quamquam quis in tali colluvie fines inter florilegia diversa, fragmenta patrum brevissima describet?) orditur, in quo fragmentum e Gregorii epistula canonica ad Letoium legitur τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου Νύσσης πρὸς Λητώιον ἐπίσκοπον περὶ τῶν ὅρων τῶν ἐπιτιμίων (inc. εἴ τις ἠρνήσατο τὴν ἐν Χριστῷ πίστιν; des. ἐπιστροφῇ συνεμετρήθη). post alia secuntur denuo excerpta theologica minuta. f. 236ᵛ in medio florilegio epistula Gregorii occurrit ita inscripta: ἐπιστολὴ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου Νύσσης πρὸς Φλαβιανὸν ἐπίσκοπον. praecedit excerptum breve τοῦ ἁγίου Ἰσαάκ (inc. χρὴ δὲ καὶ τοῦτο γινώσκειν, ἀγαπητοί, ὅτι πᾶσα ἡ ἐν τῷ κρυπτῷ γενομένη ὁμιλία; des. δύναται τῇ καρδίᾳ προσεύχεσθαι); tum aliud item brevissimum (inc. πάντα τὰ συμφέροντα ὁ θεὸς ἡμῖν βούλεται; des. ἐν οἷς ἐστιν ἡ σωτηρία τῆς ἡμετέρας ψυχῆς). epistulam Gregorii inseritur (f. 238ᵛ) περὶ τοῦ μὴ δεῖν προστιθέναι: τῆς ϛ' συνόδου (inc. τούτων τοίνυν μετὰ ἀκριβείας πιστωθέντων; des. πρὸς ἀνατροπὴν τῶν νυνὶ διορισθέντων). volumen claudunt disputationes contra Gregorium Palamam. hunc libellum cum iis qui Byzantinorum theologiam indagantur, tum iis qui in florilegiorum patristicorum historiam incumbunt, commendatum

velim; ipse vereor ne in describendo longior fuerim, quamquam multa scio me intacta reliquisse.

Memoria libri N non indigeremus, si vel F vel P praesto essent; nam quotiescumque Paulus vel Iohannes afferuntur (95, 5. 7-8. 15), comparatione instituta elucet N longius a Scriptura distare quam librum V; et cum singula verba tum incisa N saepius omittit quae V servat, ut 92, 10 τῶν; 93, 1 περὶ; 94, 6 τῆς ζωῆς; 94, 12 ὅς — ζωῆς; clausulis adsimilatis (93, 6) vel quovis modo perperam mutatis (93, 5-6) peccat. sed semel verba servavit 94, 23 εἰς ἡμᾶς prorsus necessaria; saepius compendia quibus casus obliqui vocum πατὴρ et πνεῦμα indicantur, recte distinguit, ubi V confuderat (p. 94, 3. 4. 6. 7; errorem detexerat, nisi ipsa verba, at sensum felici iudicio restituerat Vitellius), semel rectum tempus (p. 94, 23), semel rectum et tempus et genus (p. 92, 11) tuetur; semel (92, 9) desinentiam in V pessumdatam αὐτοῦ emendat; unam comprehensionem aptius conformat (95, 8-9). utrum 93, 7 ἀπολογίαν cum V an ὁμολογίαν cum N scribas, in dubio est.

V de exemplo manasse litteris minusculis scripto, supra (p. LVIII) aliis argumentis fretus adfirmavi. idem compendia πρς-πνς confusa, id est littera ν cum ρ confusa indicare videtur. N ex libro Gregorii epistularum fluxit in quo epistula prima ad Flavianum inerat: ab illa enim epistula inscriptio, inepte illa quidem, repetita est. nescimus utrum in eo libro epistula ad Flavianum primum an epistulae 5 proximum locum tenuerit.

DE EDITIONE PROTOTYPO

Quaestionem quam in hunc locum reieceram de editione prototypo, imprudentibus nobis et invitis accidit ut non modo attingeremus, verum etiam paene profligaremus. id quod clarius elucebit, simul atque, quae codicibus pensitatis et inter se comparatis sive effecimus sive nobis effecisse videmur, iam sub uno conspectu proposuerimus.

Epistulae libris V et F communes ex uno libro fluxerunt, non sine ulla nota tachygraphica minusculis litteris, scilicet non ante IX saeculum, scripto, quem siglo Γ designavi (p. LVIII). qui et lacunulis hic illic hiabat et erroribus scatebat non iis tantum quos scribae per imprudentiam admisissent, sed etiam qui a studio memoriae traditae variandae vel emendandae originem caperent (v. p. LVIII-LIX). quas epistulas praeter communes Γ complexus sit, adhuc ignoramus. nam horum codicum alter certe, F, patrimonium divitiis aliunde arcessitis augere studet, ut disputationibus illis theologicis certo homini dedicatis, quas ex hac editione exclusimus. unum spondeo collata memoria in libris contra Eunomium obvia, epistulas 29 et 30 afuisse: haec enim in F et V a diversis exemplis, non ab uno Γ, redundarunt (p. LXXV). accedit quod V non in epistularum sylloga sed ante ipsum Antirrheticum has epistulas collocat; unde concludendum est F eas e codice huius operis hausisse. contra verisimile est Γ multo plures epistulas complexum esse quam unum V: cum enim tertio exemplo arcessito, P, eluceat eamdem rationem intercedere inter hunc et F in epistulis quas unus F continet, quam inter eumdem et FV in epistulis quae in utroque occurrunt, iam constat Γ omnia, praeter epistulas 29 et 30 quarum condicio singularis est, amplexum esse quae libro P vel cum FV vel cum uno F sunt communia.

Libro V in una et altera epistula alium fontem praesto fuisse suspicati sumus (p. LXII), neque tamen ultra suspicionem progredi licet.

Γ et P, cum in illis epistulis quae in utroque occurrunt, complures et lacunas et corruptelas communicent (v. p. LXIV), ad unum librum redire necesse est,

quem uncialibus litteris, id est ante finem saeculi IX, scriptum esse demonstravi (p. LXV). atque iam in illud commune exemplum, quod x vocare soleo, epistula spuria irrepserat, Gregorii Nazianzeni 238 (cf. supra p. LXIV). utrum epistulas libro P peculiares, id est epistulas quae epistulis mutuis Basilii et Libanii inculcatae sunt, in x infuerint, an aliunde deductae sint, eo magis ignoramus, quod P a libro mutilo se descriptum esse confitetur (p. LII). sed nobis facile fingere possumus eum qui librum Γ scribendum curavit, etiamsi illas in x invenisset, omisisse: facile enim fieri potuit ut, cum nosset easdem Basilii et Libanii nominibus circumferri, his auctoribus neque diffideret neque invideret.

Epistula 21 cum Basilii libris comparata elucet quam probus x fuerit, alium terminum ante quem scriptus sit, non lucramur. qua enim aetate vetustissimi Basilii libri quibus ea continetur, scripti sint, nondum compertum est. Libanii autem librorum in quibus epistulae 26-28 occurrunt, vetustissimus, Vindobonensis, saeculo vel XI ineunti vel X exeunti tribuitur: non multo igitur ipso libro P aetate superior est quem saeculo XI-XII adsignavimus. sed tot et tantae discrepantiae inter singulos Libanii libros intercedunt, e quibus Reginensis (Λ^{R}) saepissime cum P contra fratres facit, ut necesse sit credere falsarium aliquot saeculis ipsum ante fuisse quam libros quos nunc manibus terimus. an vero falsarius illas epistulas ex ipso x aut e libro libri x simillimo, quod discrimen neglegimus, prompserit, dubitamus; id vero pro certo venditare quis animum induxerit?

Unam ampliorem syllogam epistularum Gregorii Nysseni aliquando fuisse, 4-28 dico, usque adhuc nos suspicari confessi sumus, illud tamen in opinatione et coniectura positum esse quis negaverit? sed accedit nunc liber N, qui cum epistulae 5 inscriptionem ab epistula 1 repetitam praemittat, invitus quodammodo

testatur se a libro deductum esse quo et epistula 1 et epistula 5 continerentur. at epistula 1 peculiari memoria tradita est inter epistulas Nazianzeni, neque illa Nysseno vindicatur nisi scholiis quibusdam marginalibus. at hinc nihil aliud elici potest, nisi N, librum sane recentem, saeculi scilicet XIV, sed qui doctrinam quamdam reconditam atque exquisitam sapiat (cf. p. LXXI), neque a Γ neque ab x manasse, sed nescio per quos rivulos a recensione ipso x ampliore. nam fuit aliquando liber qui et epistulam 1 maiorum praecipuam et epistulam 5 unam ex minoribus amplecteretur. sed ut epistula 1, ita epistulae 2 et 3 suae quaeque memoriae commissae sunt. has igitur universas coniectura illi libro reddo quem y appello.


Ab hac sylloga y epistulae maiores 1-3 singillatim quaeque descripta, tum cum aliis operibus consociata, brevi dispersae et dissipatae sunt; epistulae minores diutius in acie manserunt.

Neque dubitationibus ansam praebebit quod V et N non multum inter se discrepant: epistulam enim mere theologicam scribae, quamvis essent protervi, se continebant quin corrigerent; neque quisquam mirabitur quod y iam lacunulis hiabat, quarum duas in uno versu (p. 93, 4) deprehensas explevi. nam nullum adhuc novi librum huius vitii immunem: quin etiam quis nostrum non pariter peccat voculis omissis? at tamen nostro iure concludimus y non ipsam editionem prototypum fuisse, sed illum editionem prototypum quodammodo nobis repraesentare.

Quae utrum alias epistulas complexa sit necne, diiudicare non possumus; id praesto, eam vel ab ipso Gregorio compositam esse vel ab eo cui librorum copia facta esset in quos Gregorius epistulas, priusquam tabellariis traderet, referre soleret, atque vel Gregorio vivo vel brevi post eius mortem in lucem editam esse.

quis enim posteriore aetate epistulam 22 intellexisset, cuius sententiam nemo ante Diekampium perspexerat? quis epistulam 23 vel potius schedulam commendaticiam curasset? non refragatur neque quod et epistulae 24 cum prooemium tum clausula nunc desiderantur, neque quod perierunt nomina eorum ad quos epistulae 23 et 28 datae sunt, neque quod nomen eius ad quem epistula 21 missa erat, interpolatum est. epistula enim 24 uno F servata est; epistula 28 uno P, si quidem formam genuinam spectamus, non a falsario depravatam; ante epistulam 21 unus F 'Αβλαβίῳ testatur; epistula tantum 23 et in P et in F (id est Γ) legitur. invidiosum vero esset sive singulorum librorum culpas sive archetypi editioni prototypo crimini dare.

Stemma non singulorum librorum sed universae memoriae subiungere decrevi:



DE EDITIONIBUS IMPRESSIS

Editione operum Gregorii Nysseni, quae anno 1615 Parisiis ex officina Claudii Morelli typothetae regii in lucem emissa est cuiusque historiam nuper Jaeger (p. LVII) enarravit, nullae aliae epistulae continentur nisi primae tres. quae e diversis fontibus fluxerunt: primam enim ad Flavianum Fabricius [Fabricius-Harles, Bibliotheca Graeca IX 120) auctor est primum Parisiis apud Guilelmum Morellum anno 1551 prodisse, deinde ibidem bis repetitam esse annis 1554 et 1558. nobis autem non contigit ut ullum harum editionum exemplar adsequeremur, quod eo magis dolemus, quia, ut supra (p. XXVIII) et adfirmavimus et demonstravimus, Claudii Morelli editio, cum plerumque cum libro E concinat, aliquot locis veram lectionem praebet, quae cum in reliquis libris tum in E oblitterata erat. epistulae primae interpretatio latina Iohanni Lewenklaio in editione Parisiensi tribuitur.

Epistulam II ediderat Petrus Molineus, minister Calvinianus, Parisiis anno 1605; repetiverat Hanoviae anno 1607. ille libro usus erat ab eodem stipite orto a quo OTC, tali tamen ut amisso in tanta testium multitudine facile careremus. meliorem quam librum se praestitit editor; qui, quamquam, ut erant viri docti illius aetatis in codicibus transscribendis vel in plagulis emendandis minus curiosi, hic illic non paucas voculas praeteriit, quae hac demum editione Gregorio redduntur, officio tamen plerumque optime functus est. recte enim interpretatus est, recte interpunxit, unam et alteram scitam coniecturam protulit. Gregorii libello duas dissertationes de peregrinationibus atque de altaribus et sacrificiis subiecit: editionis enim id fuit consilium ut demonstraretur peregrinationes ad loca sancta, quas Catholici summis laudibus efferre solerent, a Patre Ec-

clesiae pro nihilo habitas atque etiam damnatas esse. neque alia de causa nisi ut Iesuitis stomachum moveret, Robertus Stephanus nepos illum libellum Gallice vertit. si spatium suppeteret, suave esset persequi quam vehementes et quam vanae controversiae de hac epistula exarsissent. idem Iacobus Gretserus (Gretscher) S.I., natione Suebus, qui postea anno 1618 editionis Parisiensis appendicem ornavit (cf. Jaeger, p. LXI), peculiari libello Ingolstadtiae anno 1608 edito epistulam II a Gregorio abiudicavit, eamdem tamen, cum ipse perspiceret nullum esse argumentum satis idoneum quo athetesin fulciret, non gravatus est interpretari: quisquis enim epistulam scripsisset, eum non peregrinationes ipsas damnasse, sed monere voluisse, quae pericula virgines sanctimoniales subirent quae tantum iter ingrederentur, quae interpretatio a Gregorii proposito minime abest. innumerabiles alii illa aetate huic epistulae et defensores et obtrectatores exstiterunt; nemo contra tradito verborum contextui opitulatus est. quem de Molinei editione Gretseri adnotationibus subiunctis Claudius Morellus expressit.

Epistulam III anno post secundam, Parisiis 1606, Isaac Casaubonus ediderat, repetiverat Hanoviae anno 1607, apographo, ut supra (p. XLIX) exposuimus, codicis W usus, ex quo uno huius epistulae memoria pendet. rem ille vel maiore sagacitate, ut par est, administravit quam Molineus, non maiore tamen cura. eum quoque Gretserus non sine quodam livore refutare studuit. pariter et Casauboni textus et Gretseri commentarii a Claudio Morello expressi sunt.

Anno 1638 Aegidius Morellus typotheta regius Parisiis editionem primam denuo expressit iteratis curis auctam, sed illae tres epistulae cum Claudiana ad verbum concinunt. de hac editione, quam Morellianam appellare solent, Mignei textus expressus est non sine multis operarum erroribus. atqui collationem epistulae III cum libro W satis accuratam iam anno 1728 vulgaverat Lambecius in descriptione istius codicis Commentariis de augustissima bibliotheca Caesarea Vindobonensi inserta [V, p. 176 sqq.]. non multum contra profecit vir theologiae non indoctus, πρεσβύτερος καὶ οἰκονόμος τοῦ οἰκουμενικοῦ πατριαρχικοῦ θρόνου Constantinus ὁ ἐξ Οἰκονόμων, qui in libello perraro et, quantum scio, omnibus adhuc ignoto qui in Gregorium incubuerunt, editiones epistularum II Molinianam et III Casaubonianam rursus proposuit, commentarium adiunxit. inscribitur ille liber Σιωνίτης Προσκυνητής, in lucem prodiit Athenis anno 1850, τύποις Φ. Καραμπίνη καὶ Κ. Βαφά; exemplar mihi in manus cecidit alia in bibliotheca Vaticana rimanti.

Epistulas IV-XVIII primus e codice V edidit Iohannes Laurentius Zaccagni, praefectus bibliothecae Vaticanae, in Collectaneorum monumentorum veterum ecclesiae Graecae volumine primo, immo unico, quod prodiit Romae anno 1698. idem de epistularum temporibus non indocte in praefatione disseruit, interpretationem Latinam et summaria non inepta addidit, sed neque V talis liber erat e quo quis opus ignotum commode primum edere posset — erroribus enim scatet et spatiis vacuis hiat et epistularum inscriptiones plerasque rubricatori supplendas reliquit —, neque Zaccagnius graece ita sciebat ut vires proposito pares essent: multa enim per incuriam omittendo peccavit, multa, quae praesertim per compendia scripta essent, perperam legit, lacunas pessime plerasque explevit.

Epistulas septem, XIX-XXV, quae in V desunt, ex F primum Florentiae anno 1731 typis Magni Ducis in lucem protulit Iohannes Baptista Caracciolus, in lyceo Pisano philosophiae professor publicus, apographo usus Antonii Cocchi medici Florentini. interpretatio, ad-

